S. ANTONINI
Cœnobij Agrippinenſis

APVD SVRRENTVM

quondam Abbatis Vita.

AB ANONYMO AVCTORE

ante an. CCCC. *ſcripta.*

EX MM. SS. CODD. BIBLIOTHECARVM

NEAPOLITANÆ ET TORENSIS

CLERICORVM REGVLARIVM,


Nunc primùm Typis expreſſa.

CVM

ANTONII CARACCIOLI,

eiuſdem Ordinis Presbyteri,

NOTATIONIBVS.



NEAPOLI, Typis Scorigianis. MDCXXVI.

D. VINCENTIVS GILIBERTVS Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

SAncti Antonini Abbatis Vitã, nunc primùm è MM. SS. Codicibus à P. D. Antonio Caracciolo, noſtri Ordinis Presbytero exſcriptam, & Notationibus auctam, duorum noſtrorum Theologorum calculo approbatam, typis mandari concedimus, ſi ijs, ad quos ſpectat videbitur. Dat. Romæ, die 7. Auguſti. 1626.

D. Vincentius Gilibertus, Præpoſitus Generalis.

D. Angelus Maria Secret.

Imprimatur

I. Terrag. Vicar. Gener.

M. F. Felix Milenſius Aug. Dep.

ILLVSTRISSIMO, & Reuerendiſsimo Domino

D. IOANNI ANTONIO ANGRISANO ARCHIEPISCOPO SVRRENTINO.

ANTONIVS CARACCIOLVS Clericus Regularis S. D.

SAcrato Præſuli hiſtoriã defero, Libens Meritò ſacram; Picentini videlicet Diui ſanctiſsima geſta Picentinorum citeriorum Ampliſsimo Metropolitæ. Fauente quippe Numine factum eſſe arbitror, vt felix ille B. Antonini ſpiritus, non niſi intra Picentinos fines, induerit, atque exuerit mortalitatem, Campaniæ ſcilicet natus, & Surrenti de-

natus. Sed cedere profectò illa debet Ciuitas, quæ mortalem peperit huic quæ edidit immortalem, & quæ eius insuper exuuias possidet crebra de Inferis victoria triumphales. Tanti igitur Diui Vitam, cui conuenientius dedicem quàm Tibi, qui Prouinciam istam, post quinquẽnem vniuersi nostri Ordinis rectionẽ, iam annos quindecim pacatissimè moderaris, sparsis in ea interim eximijs religiosæ prudentiæ, quæ posteri imitentur, exemplis? Illam sanè ductricem vitæ in excelsa Virtutum Quadriga primariam præcipuè colis, & rebus gerendis adhibes sincera cum humanitate coniunctam; hac nimirum singulis piè cõsulens, illa omnibus sapienter: atq; adeò ex ea Tibi reuerẽtiam, ex hac verò beneuolentiam, amoremq; concilians. Qua porrò illectus & ego, cum chartaceo hoc munusculo ad Te nunc accedo, & spero Tibi, Illustriss. Pręsul, à Pastoralibus curis aliquando respiranti, iucundum fore eius Diui Patroni Vitam legere, quam antiquus Auctor incultè,

cultè quidem scripsit, sed nullò ex ijs pigmento resperſit, quæ recentiores quidã, commenta ſua, ad veri ſpeciem colorare ſtudentes eidem non admodum aptè illeuerunt. Ea ego vt detergerem, atque diſpungerem, neceſſe habui adiungere Notationes aliquot. Nam ſi in cæteris quibuſque narrationibus turpis apparet deprauatio Veri; ea certè in ſacris Hiſtorijs eſt prorſus intolerabilis. Inuitus equidem ad eiuſmodi caſtigationes cenſuraſq; deuenio; ſed eluendus tamen erat è Veritatis facie malè illitus fucus. Id verò dum facerẽ, locos aliquot obſcuriores illuſtraui breuiter atq; obiter. Hanc autem omnem qualemcunque opellam lectorum iudicio ritè committo, & tuo maximè, Illuſtriſsime Præſul, cui ego hoc quicquid eſt libelli Do, Dico, vt mei erga Te affectus, atque obſeruantiæ extet, vel paruum aliquod monumentum. Vale.

Ad

Ad Lectorem.

BEati Antonini Abbatis, Diui quidem per has Campaniæ, & Lucaniæ potissimùm regiones celeberrimi, ecce Lector, Vitam, ante aliquot secula ab auctore anonymo scriptam, publici iuris facio. Lectionarium etiam, quo Surrentina Ecclesia antiquitus vsa est, subiungere libuit, quo certiorem, & testatiorem de Beati huius Abbatis mirificis gestis notitiam habeas. Nam eiusmodi Lectionaria, quæ in publicis Ecclesiarum Synaxibus recitari solent, ea iure ac meritò haud paruam sibi vendicant auctoritatem. Excepi autem tum Vitam, tum Lectionarium è MM. SS. libris papyraceis, quorum antiquitatem character ostendit, ijque descripti fuerunt ex antiquiore Codice Langobardico Monasterij S. Renati, quod Benedictini Patres incolunt in agro Surrentino, antequã is aliò asportaretur: vti Vir eruditus, & veterum monumentorum diligens indagator Bartholomæus Chiocarellus, qui suum exemplum cum illo contulit, planè testatur. Præterea Antonius à Porta Ebulensis non obscurè significat, se iam dictum Langobardicis literis scriptum Codicem vidisse, & peruolutasse, vtique ante annum Christi 1535. quo Vitam Diui Antonini, sed miserè interpolatam, Neapolitanis typis euulgauit. Dauid verò Romæus, qui an. 1576 scribebat, in Epistola Dedicatoria libelli sui de Diuis Ecclesiæ Surrentinæ alterum vetustum Codicem laudat Langobardicè exaratum, qui, Monasterio SS. Ioannis & Pauli, vbi is à sacris

Vir-

Virginibus seruabatur, ab impijs Turcis an. 1558. direpto atque incenso, pariter perijt, illo nihilominus superstite exemplo, quod Andreas Monachus, dum in Diui Renati Monasterio esset, exscripserat. Id, arbitror, exemplum est, quod Paulus Regius Vici Aequensis Episcopus habebat, eoque donante, nostra Torensis Bibliotheca nunc habet. Meritò proinde, ex eo, ante annos centum, vt apparet, exarato, Vitam S. Antonini describere malui, quàm Antonij Ebulensis commenta, & additamenta, vt Regius, & recentiores alij fecerunt, improuidè sequi. Harum itaque rerum, nescius ne esses, sincere Lector, volui.

De

Martyrologium Romanum die 14. Febr.

Apud Surrentum S. Antonini Abbatis: qui è Monasterio Cassinensi à Langobardis deuastato, in solitudinem eiusdem Vrbis secedens, ibidem sanctitate celebris obdormiuit in Domino: cuius corpus multis quotidie miraculis, & præsertim in liberandis energumenis effulget.

Martyrologium Pulsanensis Ecclesiæ, quod in Cod. M. S. habetur in Bibliotheca SS. Apost. Neapoli apud Clericos Regulares.

Idibus Febr. Natalis S. Agabi Prophetæ, &c. Eodem die S. Antonini Confessoris.

Martyrologium antiquissimæ Ecclesiæ S. Mariæ de Plesco in Apulia, quod item extat in M. S. Cod. iam dictæ Bibliothecæ.

Idibus Febr. S. Antonini Confessoris.

Martyrologium Florentiæ editum an. 1486. opera Antonij Vespucij Canonici.

Idibus Febr. Item S. Antonini Confessoris.

M. S. Kalendarium Neapolitanæ Ecclesiæ S. Eligij.

Die 14. Febr. S. Antonini Abbatis.

Porrò eiusdem S. Antonini Abbatis meminerunt Card. Baronius Not. ad Martyrol. Romanum, Cæsar Molignanus in Historia Surrentina: Ludouicus Zacconius Augustinianus in Compendio Sanctorum, Philippus Ferrarius Ord. Seruorum, in Topographia Martyrolog. & fusiùs in lib. de Sanctis Italiæ: Summontius item, Capacius, & alij recentiores, vt prætercam Antonium Ebulensem, Dauidē Romæum, & Paulum Regium, qui eius Diui Vitam ediderunt. Mitto etiam ædiculas complures in Ecclesijs Surrentinæ Diœcesis, & in Ciuitate Campaniæ Basilicā, eiq; attigua prædia ab Antonini huius, Sanctissimi Abbatis nomine appellata.

S. AN-

S. ANTONINI ABBATIS VITA

AB ANONYMO AVCTORE DESCRIPTA.

PRÆFATIO.

COMMENDAT nobis orthodoxorum traditio, vt ad salutis nostræ augmentum, ad fidei quoque confirmationem, nec non ad beatæ spei certitudinem Sanctorum operum insignia, seu virtutum miracula in lucem prolata propagemus: quatenus visa & audita, in segete Domini, videlicet Ecclesia, fructificent. Hæc enim in memoriæ conclaui reposita, vigilantes Christi ministros in diuinæ legis custodia confirmant, dormientes ad præcepta Dei exequenda excitant, sedulos promouent, tardos admonent, fidem adaugent Catholicam, diuinam notificant gloriam. Hinc saluberrimæ doctrinæ magister, idemque Redēptor noster Christus Iesus sic inquit: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in Cælis est*. Huiusmodi profectò iudicium communi hominum saluti, & omni religionis Ordini est proficuum, vt puta per quod humana fragilitas diuinæ Maiestati tali

ordine conciliatur, vt dum gloria Dei in splendoribus Sanctorum manifestata nobis insinuatur, ipsi à nobis debita reuerentia, nobis ab ipso solita clementia exhibeatur, quatenus qui in Sanctis suis faciens prodigia semper est gloriosus, à nobis deuotè famulantibus glorificetur. Ipsi quoque Sanctorum communioni taliter est nos associari, vt dum merita eorum magnificata, & preces apud Deum, virtutum signis testantibus, non dubitamus, nos ipsis debitam venerationem, ipsi nostræ necessariam fragilitati consolationem: illi nobis auxilij beneficium, nos illis obsequij prębeamus officium. Huius rei gratia, scripturæ istius Antonini merita stylo prosequi aggredimur, quia eius insignia silentio deprimi, aut literarum inuidia aboleri, indignum, inutile, immo perniciosum, & nefas iudicamus, & huius iudicij id rationis reddimus, quia quanta gratiarum actio, auditis eius virtutibus, Deo refertur, tanta, eisdem prætermissis, illi denegatur, & quot possunt in meliorem viam permouere sanctę vitę exempla prędicata, tot poterunt, aut in negligentia detinere, aut in semitam deteriorē detorquere taciturnitati data, quamuis pœne idem sit negligere, quod errare: sicut non longè distat delinquere & peccare. delinquere enim est non facere, quod debes, peccare, facere quod non debes: & non faciendo tibi mandata, delinques, faciendo tibi prohibita, peccabis: hoc est, iustum vitando, delictum: iniustum amando, peccatum perpetrabis. Idcircò si Deo datori data, aut ex datis non offeremus ea, quæ ingrati retinemus, & si concessa largitori parcitate iniqua denegamus, eadem nos inconsideratè cupidos, violenter rapere censeamus. Age ergo in commune consulamus, & ad Dei laudem, & auditorum ædificationem de Sancti Patris huius meritis sit mihi fas audita loqui. Ac primum de eius patria, aut parentela tractare, sicut incognitum habemus, ita non necessarium existimamus. Nam omne hominum genus in ter-

Vid. Not. I.

Vid. Not. II.

ris simili surgit ab ortu. Vnus enim rerum pater est, & vnus cuncta ministrat, apud quem seruus, & liber, nobilis & ignobilis, diues & pauper, omnes vnum sumus: cum non sit personarũ acceptor, sed operum indeceptus sequestrator. Frustra etiam inquiris generis qualitatem, cum opera sancta veram testantur nobilitatem. Nequicquam disponis indagare conditionem, cum felicem vitæ miraris conuersationem. Superuacuè exploras eius natiuitatis ortum, quo decedente vtilitatis opimæ possides fructum: Prætermissis igitur ijs, quæ cum incerta habeamus, non necessaria existimamus, ad expedienda in rem pertinentia succingamur, idest quando in has partes venisset, quibus, aut vbi, aut quomodo vixisset: finem etiam vitæ, & locum sepulturæ assignabimus. Deinde virtutes per ipsum hominibus demonstratas, quantum ad nostras aures peruenit, subnectentes, ad calcem operis perueniemus.

EXPLICIT PROLOGVS.

Incipit narratio eiusdem.

QVo tempore Longobardorum ferina immanitas Campaniæ Prouinciam hostili gladio, & incẽdio vastauit, Sanctus iste noster Patronus Antoninus ad has partes aduenisse, & Episcopo Stabiensis Ecclesię dicitur adhæsisse. Cuius cum idem Episcopus, & vitæ puritatẽ, & honestam morum conuersationem actuumque didicisset, suo eum consortio familiarius associauit, quo sine iam deinceps nihil ageret. Omnibus denique consilijs consors astitit, cuncta curarum pondera particeps adæquauit. Fidelis amici & strenui ministri officium obseruauit. Denique morum & sensuum conueniente parilitate, tam tenaciter breui coaluerunt, vt cor vnum & animam vnam in duobus veluti gemellis esse dixisses: quippè in quibus nec velle, nec nolle, aliud inuenisses.

Vid. Not. III

Vid. Not. IV

Huius talis hospitis, immò proprij idm filij, seu vnici amici prouidentia, & fide Catellus securus, pastoralis curæ regimen ex toto illi commisit. Ipse verò sæcularis pelagi fluctus declinans, vastas siluarum solitudines inter nubigera montium cacumina, Eremitis conuenientia petijt. Mons ipse, cui Michael Archangelus, propter causam paulò post demonstrandam, nomen dedit, per transuersum extensus; vtraque extremitate marinis fluctibus alluitur. Laterali verò longitudine terram Syrrentinorũ, quasi linguam terræ communis in mare porrectam, à mundo patente distinet, & per præcipites scopulos angustas viantibus semitas præbens, ab omni hostili tumultu securam reddit. In summitate autem dorso ipsius iam finito continuatim caput magnum, mare versus, audacius erigit: ita vt latera sæpius nubilosis cinctus inuolucris nubesque imbresq; serenus despiciat. Quo de loco totus Campaniæ situs, Ciuitates, oppida, castella item, & marina planities, quantum oculus penetrare potest, videri & demostrari solet. Illum tunc verticem prædictus Dei famulus Catellus assumpto certamini aptum iudicans, occupauit. Ibique dominum pura mente contemplando diuinis officijs vacauit. Nec socij vnanimis disparationem diutius ferens Antoninus, concito gressu, ad eum properauit: & sicut in mundana occupatione, ita in diuina seruitute illi inseparabiliter adhæsit. Quorum vnanimitatem & parem conuersationem taliter demonstrata visio Angelica probauit. Nocte enim intempestà vnus & idem vtrique apparens. Volo, inquit, vt in quo loco vos orationibus insistere soletis, & vbi cereum ardentẽ nuper vidistis, oratorium sub meo nomine construatis. Qui cum de nomine interrogatus Archangelus Michael respondisset, disparuit. Qui confestim expergefacti cum alter alterius eamdem visionem audisset & retulisset, mutui testimonij auctoritate confirmati, angelico præcepto assenti-

Vid. Not. V.

Vid. Not. VI.

Visio angelica de oratorio Michaelis Archangeli.

reparant. Accinguntur deinde strenui diuinæ fabricæ opifices, & ligneis compaginibus paruum quidem sed Archangelo munitori gratum habitaculum prospero successu edificarunt, O mira iustorum potentia; ò saluberrima Sanctorum fortitudo; ò ineffabilis mundarum precum virtus; ò inæstimabilis puræ mentis efficacia? Ecce meritis Sanctorum istorum operantibus, & orationibus eorum quodammodo fundamenta ponentibus, in lustris ferarum construitur oratorium, in cubilibus bestiarum ædificatur Angelicũ habitaculum; in terra vacua, vasta, & inculta fabricatur domus sãcta, celebris, & humanæ saluti apta. Ibidem, enim bonorum omnium auctori domino, & Beato Michaeli Archangelo habitatori laus quotidie offertur. Cuius beneficijs præstantibus, nullus non impetrat, quod digne postulat. De vicinis & longinquis partibus concurrunt, & vota pro quibuslibet tribulationibus promissa soluentes, accepta consolatione alacres in propria redeunt. Huiusmodi beneficia hominibus ægris illic concedenda & fidelium gaudia multiplicanda iam tunc præuidens humanæ salutis inimicus, iuxta solitam inuidiam frustra gratias Dei subuertere nitebatur, quod ad laudem Dei, & ad prouectum hominum condebatur. Concitabat ergo suos familiares detractores, qui querimonia superuacua murmurarent, Catellum Episcopum sedem & plebem suam deseruisse, &, quod peius esset, contra ritum Christianorum Missarum sollemnia per horrida ferarum cubilia & inuia montium cacumina celebrare: hæresim denique periculosissimam seminare. Quid plura? Catellus cõprehenditur, sedis Apost. Rectori statuitur. Quo volente districtè rem examinare, Catellus in carcere retruditur, & diuino, vt dignum est credere nutu, (vt sequens rei euentus comprobauit) quidam ex Clericis Papæ custos sibi adhibetur. Cui paulò post Catellus prophetiæ afflatus spiritu: Memento inquit mei dum be-

Vid. Not. VII.

Vid. Not. VIII.

bene tibi fuerit, vt educas me de isto carcere, quia violẽter sublatus sum, & hic innocens in lacum missus sum: Citò enim Papa defuncto in sedem Apostolicam succedes. Iuxta verbum vaticinantis in summum Pontificẽ eleuatus, & prosperitatis abũdantia circumfluus suæ dignitatis significatorem tunc obliuioni transmisit. Quem tamen paulò post eductum, tanto honoris cumulo donauit, vt quicquid peteret, se procul dubio daturum promisisset, Quem cum omnes aliquid magni rogaturum putarent: ille tantum Christo & monitori suo Michaeli Archangelo ex integro deditus, Rogo inquit vt quantum plumbi petam, mihi concedas. Quo ille accepto, prospero nauigio in sua reuersus, oratoriũ lignea materia constructum, petris à fundamento reædificauit, & plumbo quod apportauit, cooperuit. Antoninus autẽ sub exulantis amici tempore haud segnius, solito in loco, domino seruiebat, non iam sibi soli sed vtriq; orabat: in commune precum libamina domino offerebat.

Vid. Not. IX.

Plumbi petitio.

Sed quia Ciuitas supra montem posita non potest abscondi, nec lucerna accensa sub modio ponitur, sed supra candelabrum, vt lumen in domo manentibus præbeat, talem tantumq; virum suæ Ecclesiæ Christus quasi columnam supponere voluit. Et ecce Ciues Syrrentini celeberrima eius fama perculsi, suæ Reipublicæ cõsultissimè prospicientes, intra suæ Ciuitatis mœnia honorificè inuitatum accuratissimè susceperunt. At ille susceptæ professioni, in seculari licèt turbine, tenaciter inhærens, beatæ memoriæ viro Abbati Bonifacio apud oratorium Sancti Agrippini titulo ascriptum sese associauit Ibi ille mira admodum conuersatione, & illustrissimo operum certamine agonizans, cunctis beatæ vitæ prætendebat exemplum. Nec multò post Abbas supra nominatus, ad huius vitæ metam perductus, fratribus persuasit, vt Antoninum probatæ vitæ sibi successorem subrogarent. Illo igitur defuncto, fratres consilio patris acqui-

Vid. Not. X.

Vid. Not. XI.

acquiescentes, vno ore, pari consensu, vnanimi iudicio, dignum acclamarunt Antoninum, qui prolapsum magisterij culmen susciperet gubernandum. Quibus ille primo quidem pro humilitate, temperata contradictione, reclamans, tandem consensit, & pro voluntate eorũ Abbatiã suscepit. In huius dignitatis gradum promotus viuebat quod dicebatur, qui pater appellabatur vocabulo, verè pater erat misericordiæ, & pietatis officio cũctis beniuolus, cunctis compatiens, omnibus mitis aderat. Ipse magister omnium virtutum prærogatiua insignis. Discipulis doctrinæ felicis regulam sermone & opere commẽdauit, admonens, castigans, instans, opportunè, importunè, arguendo, increpando, obsecrando, desipientium vulneribus oleum & vinum infudit. Fratribus, aut necessaria communiter præbendo, aut si non erat vnde, patientiæ virtutem pijs verbis & exemplis proponendo, murmurationis periculo occasionem abstulit. Detractionis autem & inuidię morsus, item alias vitiorũ pestes, sicut ipse declinabat, ita alios declinare commonebat. Inter cętera etiam suorum operum monimenta, construxit in honorem Sancti Martini oratorium, cuius introitus valuas haud ignobili operè sculptas ipse manibus suis composuisse dicitur: nam in arte architectonica laudabilis magister perhibebatur. Nullum igitur tempus vnquam sibi ad inimicam animæ ociositatem est elapsum, de quo seruitutis Christo non redderet pensum. Aut enim aliquid in rem pertinens faciendo vtilis artifex, aut in orationibus pura mente Christum contemplando spiritualis cælicola, aut communi necessitati prouidens terram colendo frugi reperiebatur agricola. Ita demum sese beatum, & bene sibi esse iudicans, si suis alimentis spiritu primitus cibato, ipse etiam labores manuum suarum manducaret. Plantauit igitur in terra inculta vineam, quæ capite ad atriũ sue basilicę iuncto, extremitatem in ipso marinæ ripæ

Vid. Not. XII.

præ-

præcipitio terminat. Hæc vinum virtute & sapore mirabile emittit, quod suo inuentori Antonino etiamnum in proprio nomine monimentum seruat, vinum omni condito melius, vt puta, quod natura non ars, quod sanctis manibus plantatæ vites, non peregrinæ species temperarunt. Ex hoc quia celeberrimè prædicatur, principibus & magnatibus pro munere dato misceri solet, dicas ipsum Antoninum ineffabili benignitate largum, hoc suis ciuibus in laudem & vtilitatem contulisse, & in iugem sui memoriam quasi pignus reliquisse: His, alijsque talibus virtutum operibus infatigabiliter insistens, dies huic vitæ concessos exegit. Emenso tamdem vitæ corruptibilis spatio, fratres & populos, vbi sibi sepulturæ locus placeret quærentes. Rogabat vt nec intra, nec extra vrbem eum sepelirent, & hoc dicto expirauit in Domino sexto decimo Kal. Martij, Consule Probiano. At illi de dubio quasi oraculo, incerti, & quod loci spatiolum, nec intra, nec extra vrbem fuisset reliquum, hæsitando voluentes, tandem, prudentia monstrante, in ipso muri Ciuitatem circundantis latere, a terra quantum humana statura potest esse, contra Orientem dolauerunt, & ibi corpus Sanctum posuerunt. Ecce autem ipsius parentes curiosa indagatione circumquaque eum quærentes, fama tandem duce Syrrentum applicuerunt, supplici voce à ciuibus rogantes, vt vel exanime corpus in patriam reducere daretur. A quibus salua nimirum veritate audientes, quod nec intra, nec extra suam vrbem eum sepellissent, nec nocua, immò proficua fraude, nec falsa assertione decepti abierunt. Hanc igitur suorum parentum inquisitionem vir Dei in suis extremis, Spiritu sancto indicante, præuidens, paterna deliberatione, prospexit, vt qui viuum eum ciuem & patrem fouerunt, nec tristitia afficerentur corpore amisso, nec mendacij, aut periurij reatum incurrerent, eodem retento, cum indisterminio interiorum & exteriorum non

Vid. Not. XIII.

Vid. Not. XIV.

Vid. Not. XV.

Vid. Not. XVI.

non autem intra, nec extra corpus eius positum fuisset. In ipso igitur muro, vt diximus, adiuncto nunc oratorio, decorè corpus Beati Antonini fouetur. Cuius meritis præstantibus dignè quæsita indigenis, & aduenis, beneficia præbentur; & insignia virtutum miracula frequenter demonstrantur. Quæ quia multa & pręclara constant, nec ad plenum dicere, nec ex toto reticere possumus.

Vid. Not. XVII.

EXPLICIT VITA,

Incipiunt miracula Sancti Antonini Confessoris.

POst decessum Beati Antonini non multo tempore euoluto, Princeps Beneuentanus, *Sicardus*, cæteris finibus suæ ditioni subiugatis, terrā etiam Syrrentinorum eadem intentione inuasit. Cunctis ergo in circuitu terminis hostili manu vastatis, prædictam ciuitatem, acie in girum ordinata, expugnare aggreditur. Bellica mox eriguntur instrumenta: vineæ in altum prominentes proximè murum allabuntur: de quorum propugnaculis armati vrbem despicientes, ædificia petris, miseros ciues palis cuspide præfixis, aut igne duratis desuper impugnant. Interius autem murum creber aries tundit: phalanx inimica testudine facta impellit: iacula crebra volant, nec vllum telorum genus cessat. Interea per totā ciuitatem trepidatur. vterque sexus, omnis ætas, omnis ordo pauore percellitur. Planctus mulierum cum vagitu infantium sidera ferit, & quod extremę spei residuū fuerit, ad Ecclesias curritur, diuina clementia, & Sanctorum suffragia implorantur. Cum interim lapis murali tormento emisso, vasto impetu, stridens ferebatur, & muri locum, vbi corpus sanctum fouetur aduolauit, sed non violauit: assiluit, sed non comminuit, clamor furentium attollitur: plausus interea dissultat. credentium se hiatu per lapidem facto pro porta mox

Vid. Not. XVIII.

Vid. Not. XIX.

vſuros. Sed cum, ingenti crepitu repercuſſa mola, ne ſignum quidem colliſionis dediſſet, mirantibus quidem cunctis, ſed cœco furore ad repetendum ictum machinam reficientibus, nox ſoporifera perueniens prælium diremit. Ducem dehinc in ſomnum arctus feſſos reſolutum Sanctus Chriſti confeſſor Antoninus ſuperaſſiſtens: Tu ne, inquit, ēt oſſa in Chriſto quieſcentiū diſſipare veniſti? & viſo, auditoque Dei miraculo, ne ſic quidem ab incepto noxio deſiſtere voluiſti? Tene ius & fas contumaciter confundente, & violenter diſturbante, nobis in cubilibus noſtris lętari non datur? Diſce nunc qui leuem admonitionem ſpreuiſti, ſeuera ſaltem correptione caſtigatus reſipiſcere, & accepta tua non dum rigore digna animaduerſione, diſce errata corrigere, diſce Chriſto ſatisfaciendo iam deinceps diſciplinate agere. Hæc dicens, virga quam manu geſtabat ictus, & reditus per dorſum emetiens, ſalubris magiſterij grauiter ad viā eum errabundum retraxit. Mane igitur facto, viſa per ordinem referens, & minus credentibus liuidos ictuum tractus in cute demonſtrans, quod opus eſset facto ſciſcitatus eſt, illis in diuerſum conſilia diſtrahentibus, & de ſtatu, diſceſsuque bello, & pace diſsentientibus. Ecce nuncij propero curſu vix reſpirantes aſtiterunt, qui filiam herilem à dęmonio vehementiſſime correptam, humanos tactus & affatus fugere, artus proprios mordicus laniare, & horrenda quæque facere & pati aſsereret. A quibus cum didiciſset eandem horam filiæ primum deſipientis, quam petrę tumulum ſanctum pridie ferientis, omni iam erroris perpetrati & confeſsoris exacerbati ambiguitate remota, caſtra illico deferens propria repetit, & filiam confeſtim malè ſanam, ſalubri conſilio reperto, gemmis, auroque fulgentes veſtes indutam, & precioſiſſimo metallici operis apparatu exornatam ſui monitoris arbitrio miſit regendam. Rogabat ab eo veniam, cui nuper intulit iniuriam. tumulato pro ſani-

tate

tate recuperanda commendauit filiam. Cuius pridem tumulo petra illa fecit violentiam. Nec preces supplicis solitus subuenire miseris aspernatus Antoninus. Inimicum expulit, animum reddidit, hostem fugauit, hominē redintegrauit, & quæ veniebat rationis & sui nescia, redibat tranquillissima mente composita. Iuxta præceptum patris, totum ex integro, quo parata venit ornatū, suæ salutis mediatori Antonino tradens. Dedit etiam illi crucem vnam gemmis, & auro compactam. In cuius medio particula de ligno dominico, lucidissimo chrystallo cooperta, quasi nuda resplendet, quā collo appensam quasi pectoris, & totius corporis custodem apportauit. Ipsa sibi ad restituendam sanitatem satis efficax fuisset, nisi Christus sui confessoris glorię ascribere maluisset: His omnibus ibidem dimissis, sana & hilaris remeauit, sua relinquens, & sese recipiens. Quid ergo? Sanctus ne Dei confessor cunctis in commune largus, & vltra quam credi potest beneuolus, beneficium sanitatis vendidit? Numquid ipse iuxta Apostolum iustificatis gratis per gratiam Dei, gratiam diuinam sub cōmercij mutuatione redimendam exposuit? Absit à cordibus fidelium ista dictu horrenda cogitatio. Eradicetur ista nefanda opinio Symoniaca auaritia, per Petri Apostoli sententiam semel damnata, amodò iam radicitus extirpata emarcescat. Quum ergo talem audis compensationem ò fidelis, Christum principaliter accipere crede deuotionem: ipsum mundam complecti fidem; qui cunctos diuitum muneribus duo paruissima viduæ pauperculæ, sed deuotè minuta præposuit. Non ergo datum, sed datoris animum respicit: te non tua, aut te cum tuis, non autem sine te tua recipit, vt ipse testatur. *Si*, inquit, *offers munus tuum ante altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc*

Vid. Not. XX.

Vid. Not. XXI.

veniens offeres munus tuum. Ac si dixisset: Si vis, vt tuæ recipiam, te priùs mihi præparato, & præparatum offerto: quia sine te tua non admittam: te autem accepto, tunc demum tua recipiam. Hac autem receptione, vt ex vocatis prædestinati, & ex prædestinatis iustificati, digni efficiantur, diuerso modo, ad veritatis nutum diriguntur. Multa enim & occulta esse Dei iudicia non dubitamus, qui per innumeras miseriæ semitas, nec hominibus cognitas, errabundos ad se trahit. Vt ipsa veritas ait. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum*. Propterea igitur omnem filium, quem recepit flagellat, castigat, & mortificat, mortificat item & viuificat: viuificat in spiritualibus, mortificat in carnalibus, vt Apostolus, *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem. Inuidiam, auaritiam, &c.* Ita & nunc iste Dei famulus Antoninus documento & assensu Christi, sine quo sui nihil possunt facere, ipsius inquam exemplo, & auxilio prius castigauit, deinde blandiuit, Ducem errantem correxit, corrigendo exacerbauit, exacerbatum mitigauit, desipienti filium abstulit, resipiscenti reddidit pro erroris abrenunciatione, non pro auratarum vestium oblatione, pro culparum emendatione, non pro gemmarum rutilanti splendore, pro fidei deuotione, non pro terrenæ dignitatis possessione. Neque enim solos nobiles, aut diuites curat Antoninus, curare solet & pauperes. Ecce qui nuper sanauit filiam ditissimi Principis, modo suscepit curam rustici pauperis. Qui paulo ante gloriosi Ducis sanauit prolem, nunc despecti ruricolæ similem curauit furorem.

Vid. Not. XXII.

Quendam enim per quinquennium totum ab hoste maligno vexatum, contribules sui rata fiducia patroni Antonini animati, ad Ecclesiam ipsius traxerunt, & nocte superueniente, ne quid aut sibi nocui, aut intra sancta sanctorum illiciti committeret, ad columnam manus &

Vi d. Not. XXIII.

pedes

pedes miserum arctius ligarunt, & foribus obseratis solum intus benigni, & salutiferi hospitis contubernio vsurum reliquerunt. Dato autem ad vigilias nocturnales signo, ostio, quod ipsi hora vespertina occluserunt, ab ipsis item reserato, introierunt, & ad columnam depositi consciam properantes, cum sola ligamina dissoluta, & induuias ibidem, sed seorsum conuolutas inuenissent, obstupefacti per diuersas coniecturas animos versarunt, Cum interim eminus eum super nudam petram nudum dispexerunt sedentem, brachijs strictum complicatis, & corpore angustum in modum coarctato: cui appropiare dubitãtes, eo quòd pristina rabie intractabilem adhuc crederent, per diuersos sermonum circuitus mentem eius à longe explorabant. Quem cum sanum sapere, sanum loqui lętarentur, placatissimis eius responsis animati ad tactum vsque processerunt. Deinde cum omnia circa eum tuta, tranquilla, & ad plenum composita perspexissent, gratias Deo datori, & beato Antonino sanitatis conciliatori deuotione intima retulerunt. Cum gaudio reducentes sui compotem, quem attraxerunt mentis & rationis inanem. Audi nunc non minori admiratione stupendum beneficij ordinem, & salutiferam Antonini medicinam gratanter excipe.

Erat quidam Stephanus Sacerdos religiosus. Idemq; sancti loci præpositus, & venerandi corporis custos sollicitus, Vir rigidæ abstinentiæ, in tantum, vt toto anno per tres legitimas hebdomadæ ferias, pane & aqua contentus, semel in die se reficeret. Quòd si forte festiuitas celebrior remissionem indixisset, leguminum aut olerũ delicijs admissis, & aqua vino modico cõdita cõuiuabat. Ille Syrrentinis, item & alijs pro qualibet infirmitatis molestia opem implorantibus propter vitæ probatæ merita nuncius ad beneuolum patronum missus, tali ordine solatij mandatum referre solebat. Fecit cerotum, siue vnguentum, cuius compositionem diligentius inquisitam

ſitam ſubſcribere non grauarer, ſi aut eius medicamini, & non potius Antonino medicãti virtutem curationis operatricem aſcriptam cognouiſsem, aut ipſe compoſitor in hoc ſolummodo curandi fiduciam habuiſse videretur. Confectum enim medicamentum in pyxide eburnea diligenter ſigillatum in ipſa altaris archa repoſuit, triduoque cum ieiunijs, & orationibus peracto, depoſitum repetit; & ſi deſignatum ſigno crucis per veſtigium pollicis euidenter impreſſo exaratum reperit, efficacis medicinæ ſecurus languentibus membris induxit, totũq; dolorem conſequenter effugauit; Si autem abſque crucis ſignaculo planam ſuperficiem inuenit, nullam prorſus curandi fiduciam habuit. Hoc igitur modo, ſicut dictum eſt, ſalubris ſigni, & ſancti pollicis impreſſione facta, vnguento virtutem cęlitus illapſam, & pia curatoris Antonini arte medicamen intellexit conditum, ac ſanitatem quærentibus promittebat. Sin autem, patientiam laborantibus perſuadebat: & quos ſuperno iudicio obſtante curare non potuit, monitis ſalutaribus inſtruxit; & Deus, inquit, omnipotẽs pius animarum medicus omnes homines vult ſaluos fieri, non vt conualeſcant ad complenda deſideria illicitæ voluptatis, ſed vt veniant ad agnitionem veritatis, fide vȝ. & opere, quia fides ſine operibus mortua eſt. Hoc vt fieri poſſit. diuerſo ordine diuerſos hominum appetitus, multiplices ſingulorũ voluntates, diuinæ diſpenſationis clementia ad vnum ſalutis iter temperat. hunc humiliat, & hũc exaltat: illum flagellatum ſanat, alium ſanum flagellat: & ipſum flagellare, ſanare eſt, vt eſt illud.

Vid. Not. XXIV.

Vulnera dum ſanas dolor eſt medicina doloris.
Idcirco cum diuinum imploramus auxilium, & miſericorditer audimur, & miſericorditer non audimur. *Noxia ſi petimus, ſi iure neganda precamur*, miſericordiam non auditi conſequimur. Si proficua rogamus, miſericordiam auditi impetramus: *nam prope eſt*

domi.

dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorũ exaudiet, & saluos faciet eos. Si ergo non in veritate inuocamus, quomodo Deum timemus? Si non timemus, quomodo exaudiemur? Si non exaudiemur, quomodo sanabimur? Quocirca vt ista consequantur, antecedat necesse est veræ inuocationis affectus. Vera autem inuocatione vtimur, si non vt nostra, sed vt sola Dei voluntas in nobis fiat, precamur. Vera igitur inuocatione veri & pij iudicis arbitrio, vos fratres ex toto commendate: & omnem aduersus Deum, aut Beatum Antoninum murmurationem procul a cordibus vestris relegate, Quin potius iuxta Apostolum. *Spe gaudentes* in tribulatione, patientiæ virtutem seruate: & clementiam diuinam æquo animo expectate, sicut scriptum est. *Bonum est cum silentio præstolari dominum*. Hæc & his similia repetens Beati Antonini interpres Stephanus presbyter, tam non curatos quam sanatos alacres reddidit, quos pro medicamenti virtute salubri admonitione perunxit, & quibus pro corporali sanitate spiritualem curam exhortando adhibuit.

Tempore autem procedente Sarracenorum infinita multitudo contra Christianæ pacis tranquillitatem cõiurata, omnia, quæ attigit loca more nimbosissimæ grãdinis proterens erasa reliquit. Emenso tandem infesti illi prædones pelagi spatio, applicuerunt ad Insulam Neapolitanæ potestati subiectam, quæ Aenaria, vsitatiori verò nomine Insula maior nuncupatur. Nauibus in alto relictis, terram liburnicis petierunt, & castris sitis consederunt, terrarum culta flamma predaq; vastantes, cultores sine humanitate, sine pietate miserabiliter necantes, aut in captiuitatem & exilium traducendos ad naues vinctos trahentes. Illorum immanissimam crudelitatem adhuc autem & securã statione vicinarũ Vrbiũ habitatores, scilicet Surrentini, Neapolitani, & Caieta-

Vid. Not. XXV.

ni non ferentes,felici fœdere,& omine prospero conspirarunt,Christianos captos & capiendos liberare, patriā defendere,gentem nefandam propellere.Hic,Antonino vt paulo post apparebit,duce,& cæteris,*quorum corpora Surrentum fouet*,Sanctis comitantibus,gloria Syrrentinorum emicuit. Quibus non immeritò victoria ascribitur,dum ipsorum patronis signiferis rabies hostilis vincitur. Triduo namque ante futurum prælium quinque quorum nomina posterius liquebunt , In naui gentilium ductrice,deambulantes apparuerunt:in quos, hostes aut vinculorum nexibus extricatos fugam tentare,aut occultè in lapsos nauim amoliri suspicātes; cœco furore irruerunt.Sed sanctis subitò ab aspectu subtractis,ab incepto haud sine admiratione desierunt. Rursus cum armis in abditis latentibus sese occultius locantes, & custodiam vigilantius adhibentes, Ecce iterum priore habitu & incessu eodem in loco spaciantes Sanctos Dei viderunt. Quos subitaneo terrore & clamore assilientes,alius conto,alius gladio,alius saxo furibundi petierunt, sed Sanctis item disparentibus,cum ictus non nisi in nauim cecidissent,sese miro modo frustratos obstupuerunt. Sed cum iterum atque iterum mente cæcati eodem impetu tentato, eadem illusione deciperentur,ductor idemque augur eorum à longe rei ordinem considerans.Isti,inquit dij sunt Christianorum,ad quorum,vt opinor defensionem,aut vltionem conuenerunt. Deinde cum sors,gentilis superstitionis more, consuleretur,& paganis aduersa , Christianis prospera portenderet,acceleremus,clamant,fugam,& nauibus festinanter armatis,aduolemus.Iuxta verbum præcipientis, socijs circumquaque dispersis, cum rapinarum congerie congregatis,& cæteris omnibus ordinatis, quum festinanter dijs ieiunaturi retulissent: Ecce prædictæ conspirationis socij subitò irruentes, cunctis quos consequi potuerunt occisis , decem nauigia cum armamentis,

cum

cum præda, cum captiuis arripuerunt, ijs quæ ſuperfuerunt, ſine remigijs, ſine gubernaculis, ſine ſuſtentaculis vix & inutiliter elapſis. In ipſius antem noctis bellum antecedentis extremitate, ideſt matutino tempore in ipſo inquam imminentis pugnæ articulo, quinque viri ſuperius in naui demonſtrati, cuidam ciui Neapolitano ſeni cui Sergio, Pipinus nomen, tali ordine ſicut ipſe poſtea retulit, apparuerit. Præcedebat habitu Monachi venerandus, & ſancta canitie reuerendus, qui ſeſe de nomine interrogatus, Antoninum dicebat quem velut ordine, & vt mox patebit affatu priorem comitabantur reliqui quatuor: quorum vnus caluus, barba prolixa, canus, maturus, venerabilis, ſeſe Renatum: duo verò comitantes, ambo ſenes, ambo barbam raſi, ſed alter caluus, Athanaſium ſeſe, alter cæſarie criſpus, ſeſe Bachulum, quartus verò, iuuentutis gratia floridus, Valerium, ſeſe nominauit. Illis ita ordinatis, Antoninus ſicut prior venit, & ſtetit, ita excellētioris perſonæ etiam in loquendo proſequebatur officium: & ſemiuigilem ſenem ita affatur ſeuera increpatione, & amica cohortatione admonens. Vos, inquit, nunc iſtius vrbis habitatores per ſtratus veſtros molliſſimè compoſitos ſecuri laborum quieſtitis, & ciuibus veſtris pro reipublicę ſalute in ipſo extremi periculi diſcrimine laborantibus ſubuenire nec cogitatis. Ignaui, pigri, inertes, qui nec precibus, nec viribus veſtros adiuuetis. Qui nec diuinam nec humanam opem eis conferre curetis, qui tot defenſores vobis à Deo conceſſos, & pro vobis quamuis ingratis ſollicitos implorare negligatis. Nam egomet ipſe modo dominum Ianuarium veſtrum patronum conueniebam, & ſicut nos noſtros in periculo non reliquimus, ita eum ad veſtrum auxilium inuitans, cùm imminente veſtrorum periculo citius eum ſubuenire vrgerem, & niſi ocius ſuccurreret, aliquot de ſuis caſuros affirmarem, ſuſtine, inquit ille, paululum:

Vid. Not. XXVII.

Sacerdotibus & Clericis pro nouendo; luminaria nocturnalibus horis procurando: donaria iuxta facultatem quisque propriã sedulè offerendo: præsidia Dei in suam suæque Ciuitatis protectionem per ipsorum suffragia implorando & dicendo: *Nisi dominus custodierit Ciuitatẽ, frustrà vigilant qui custodiunt eam*: Hæc illi facientes, & illa decorde dicentes, Dominum continuo Ciuitatis suæ audient promittentem; *Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis Ciuitas sancta: quia voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia cõplacuit Domino in te.* Quod si studijs in contrarium versis, Ecclesias eorum dirutas negligunt, reliquias sanctas negata veneratione, aut debita seruitute contemnũt, proprio se iudicio damnant, dum beneficiorum per ipsos sibi sæpius collatorum, & quotidie superuenientium immemores, bonis mala rependunt. Suo se gladio confodiunt, si patribus impij, si tutoribus inofficiosi, si largis parci, si benefactoribus ingrati existunt. Syrrentum Hierosolimæ propter repudiatos sanctos damnatæ addicunt, si Saluatorem, item per sanctos suos custodire ipsos volentem, reijciunt, iusta de causa dicturum: *Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Duritiam sibi saluarem venienti reclamantium redarguit, & sic iudicauit, culpam præmisit, sententiam subintulit. Prius accusauit, deinde damnauit. Ecce inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Constat igitur, & per rationẽ, & per sacræ scripturæ auctoritatem, Syrrẽtinos, immò omnes Christianos felici prosperitate promoueri per Sanctorum venerationem, & dilectionem: & è contra per ipsorum contemptum deprimi aduersitate, quia par est vt vnde per obseruantiam ascendas, inde per negligentiam cadas, & vbi obedientia leuat, ibi superbia demergat. Quicquid ergo in seruitia Sanctorum

promouenda expendimus non solum non perdimus, sed multiplici lucro redditurum credendo deponimus, dum ipsis pro nostra deuotione gratum & acceptum per multa indicia cognoscimus. Hoc etiam mihi probare datur, quod non solum maiora suę domus ornamenta, sed etiã minima quęque vt ita dicam vtensilia sanctos inspicere, & custodire videmus, vt subiectę rei euentus probat.

Pessulum, quod vulgò catenatium vocatur, cum quo valuæ maiores casæ Sancti Antonini claudebantur, longo vsu attritum ad exitum facile ferebatur, & non tam affixum, quàm appensum videbatur. Hoc adolescens quidam percipiens, sicut est leuis adolescentia prona, ad malum, ianuæ approximauit, & callida dissimulatione, quasi acclinandi gratia assistens, pessulum agitare tentauit, quod cum facilè sequeretur, audaci manu extraxit, & nocuo gaudio repletus in sinu quasi ignem in paleis reposuit. Mox enim dementiæ feruore succensus, hominem animo exuit, & per immanissimum furorem, tãdiu bestialiter vixit, quousq; beneuolus Antoninus, nulli malum pro malò reddens, magistrum eius, eundemque presbyterum dormientem visitauit, & pessulum quod discipulus eius à domo sua rapuisset, reddi commonuit. Ille autem excitatus, raptorem cum rapina, Beato Antonino præsentauit: eumdemque sanitate mox recepta, lætum, & hilarem reduxit. Aduerte & aliud signum, quod item sanctis res suas curę esse indicat.

Quidam, ostio quod est ex latere Ecclesiæ latenter reserato, noctu introiuit, & rebus quas inuenit, rapaci tractu, & auaris manibus corrasis, exire vnde ingressus est trepida festinatione parauit. At contra suum conatum mora tardante, lucem ibidem expectare coactus est. Nam caligine oculis mentis ab Antonino immissa, neque ostium ingressus sui conscium, neque exitum alicubi potuit inuenire. Errore igitur probabili, immò confesse bono, per totam noctem sanctam domum girando & parietes

rietes palpando, quum nō nisi in murum solidum vbiq; offenderet, tempore matutino deprehensus est. Qui cū ingressus sui locum mōstrare vrgeretur, ostium quod eū introduxit visitando ostendit patulo quidem ictu & eodem quo ipse reserauit modo apertum. Tunc digna castigatione recepta, & Beato Antonino satisfactione peracta, via tandem aperta abscessit.

Nec prætermittendum existimo, quod & ipsi Antonino inter cętera signa specialem quandam non tam miraculorum, quàm iustitiæ prærogatiuam ascribit, & cunctis audientibus vtilis obseruantiæ cautelam indicit. Ferunt enim quod & ipsa veritas, vt mox audiens testatur nullum vnquam per suas reliquias impune periurare, quin & aliquo seueræ animaduersionis flagello punitus, aut ad pręsēs, aut citò vindictę succumbat, & mendacij procaciā Christo & Antonino faciendo luat. Nuper duę pauperculæ, quarum altera creditum acceptum negabat alteri, conflictū diurnæ altercationis collisæ ad sacramēti testimonium coram Antonino iudice prorupere: illa se credidisse, illa se non accepisse iuraturæ. Videns hanc contēdentium proteruiam Petrus archipresbyter Ecclesię custos, rigidam Antonini censuram cognoscens, pro humanitatis condescensione, periculo vtriuslibet perterritus, rogabat quærentem, vt ex credito aliquantulum resecaret. Et iuxta consilium suadentis quum tertiam partem remisisset, illa nec sic quidem à rigore noxio emollita, audaci incessu, procaci vultu ad altare accessit, & obstinato animo linguaque perniciosa creditum abiurauit: non autem impune; Nam recedere parans, quasi debiti exactione iam soluta, subito in terrā elisa corruit eiulans, spumans, palpitans, & bestiali more frendens. Deinde cum totam iam præmortua extremum palpitaret, quum raros singultus traheret, quum spiritus in suprema lingua hæreret, prædictus Archipresbyter aquam benedictā in Calicem sanctum missam guttatim in os reclusum

stillabat,

ſtillabat,& inter hæc ſimul cum aſtantibus pro ea inceſſanter orabat. Hac illi refectione iniecta, anima in ſedem propriam reuerſa,vitam reddidit,& calor paulatim in oſſa diffuſus ſenſum reſtituit. Per hanc ſententiam caſtigata periura, omnibus exemplum ſanxit, ne quis in præſentia Antonini mendacium iureiurando confirmare præſumat. Præſens enim omni tempore in aulá ſua regnat Antoninus,iuſtis præſidium, iniuſtis excidium, perfugium miſeris,offendiculum elatis,ſubuerſio, vt audiſti,malè pertinacibus;ſpes & ſolatium, vt mox audies, bene ſupplicibus.

Idem ille de quo nuper nobis ſermo fuit Archipręsbyter Petrus, cuius ipſius relatione quæ ſequuntur didicimus,horridiſſimam elephantiæ lepram contraxit adeò vt in totius corporis ſuperficie, ne vnum quidem naturalis coloris ſignum notare potuiſſes. Tota cutis aſperitate ſulcoſa,in modum quercini corticis exarata horrorem tangere volentibus,horrorem vidētibus ingerebat. Omnes eum fugiebant, cuncti pro contagij timore vitabant,eundo,ſtando, reficiendo, dormiendo per omnia omnibus immunis manebat. Huic tam intolerabili moleſtiæ quum medicina peritiſſimorum,ne leuamen quidem adhibuiſſet, quod ſolum extremæ ſpei reſiduum erat,ad Antoninum ſuum cucurrit. Immò ægrè prorepſit, & manibus in cœlum expanſis: manibus: nam oculos pro grauitate doloris palpebras præmentis, aperire non potuit, palmis inquam & corde ſurſum intentus, ante Altare aſtitit. Et inquit,clementiſſimè pater Antonine reſpice me miſerum, reſpice moribundum,miſerere tui famuli,recordare tui quondam miniſtri. Ecce vindicta peccatis meis ingruente,omnes me quaſi profanum fugiunt, omnibus ſum horribilis, & mihi meiſque quum per omnia ſim inutilis,nec cœlo viuendo frui,nec terram moriendo datur ingredi. *Antonine Pater famuli miſerate labores, Tolle precor miſerā tali de carcere*

cere vitam, aut me redde mihi mortuo. Exaudiuit Antoninus, & nocte proxima semiuigilem super assistens, totum eum, vt sibi videbatur denudauit: deinde vnguẽto quod adduxit, vertice incipiens, cum ambabus manibus extensis, totum corpus non tam perunxit quàm perfudit. Expergefactus ille vlceribus potenti medicamine arefactis, tunicam illam horribilem exuit, & nouus exijt, non aliter ac si nouellæ arbori librum detrahas, & renitentem albicantis ligni gratiam aspectibus occurrere videas. Nocte iterum sequenti prima somni illabentis parte sopito, Antoninus affuit, & ecce inquit sanus factus es, iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. Cohibe vagam mentem, astringe lubricam iuuentutem, abige voluptatem præuaricatricem, & auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Illud Euangelij semper in corde ferens, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, hoc dicens commotione fecit eum de quodam humanæ fragilitatis errore: quem ille quidem patrare destinarat, sed pia sui magisterij vigilantia per supradictam plagam prçuenientem non perpetrauit. Hac ille disciplina correctus, iam deinde temperata omni lubricæ temeritatis offensa, studiosus in mansione sua pater familias Antonino, continentia comitante, seruiebat, vbi ipse semper vt dictum est præsens inhabitat, quod adhuc etiam de subiecta probatione affirmatur.

In latere muri vbi Sanctæ eius reliquiæ continentur, in Imagine ipsius designata, quum pictor coronam inauratam capiti circumponere pararet, parietem prout necesse fuit cauabat. Et ecce per rimas factas lux inestimabilis, & inenarrabilis subito emicans, vultum dolantis feriebat. Quam ille per intolerabiles radios oculorum acie reuerberata non sustinens, ruinam dare in terram minabatur: sed tamen pro deuotionis intentione confirmatus, opus festinanter consumauit. Confessè igitur

pro-

pronunciamus, quod Beatus Antoninus in suo tabernaculo nunquam non inuenitur, vbi sicut raptores damnat, ita offerentium vota suscipit, & remunerat: sicut elatos repudiat, ita oppressos releuat. Ibi beneficia petentibus per ipsum quotidie præstâtur. Ibi per ipsum Christus suarum virtutum miracula fidelibus ad spei certitudum, & ad fidei confirmationem incessanter ostendit.

Sed quid ego ista? quid nocens? quid pollutus? quid aggregatus peccatoribus, innocentis, impolluti, segregati à peccatoribus potentiam polluto ore violo. Peruersæ vitæ conscientia, & veri iudicis sententia perterritus, timeo ne vnde querere destinaui remedium, inde horrendum incurram iudicium: vnde Deum affectaui mihi facere propitium, inde iusta de causa audiam iratum. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum: tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Vtique Domine fateor, assentior, nec cordis, ac renum scrutatorem mendosè pertinax inficiari ausim. *Et si quis diligit me sermones meos seruabit*, dum te dicente audio, mea consciētia accusante, iam damnatum cognosco, qui dum sermones tuos retrorsum proieci, non dilexi: dum non dilexi, erraui: dum erraui, perij, sicut ouis quæ perierat. Quid ergo prodest, peccatori, te solis laudare verbis, dum nullius meriti mihi cōscius, à te tremebūdus audio, *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnū Cælorū: sed qui facit volūtatē Patris mei, qui in Cælis est, ipse intrabit in regnum Cælorum.* Et iterum, *Populus hic labijs me bonorat, cor autem ipsorum longe est à me.* Fateor planè peccata mea maiora esse, quā vt veniam merear: quia omni genere impietatis pollutus, tuæ pietatis opera per famulum tuum hominibus demonstrata, lingua scelerata attingere presumpserim, qui tuæ potentiæ miracula modis absonis obscurando, fumum ex fulgore dare non perhorruerim. Sed inter cæ-

tera tuæ misericordiæ documenta peccatoris Sacerdotis ab Eremita repudiati exemplo animatus, eo audaciç prorupi, vt tuas virtutes posteritati quoquomodo tradere, quam omnino abscondere maluerim. Maius certè est misericordiæ iudicium, peccatorem corpus tuũ manibus tractantem non puniri, quam de te loquentem non damnari, & plus est te tangere, quam de te dicere. Legitur enim Eremitam quemdam Sacerdotem Missarum solemnia sibi celebrare solitum, pro fama se se Sanctum, illum verò mundanis contagijs inuolutum prædicantem, quasi immundum, nec Deo iam seruire dignum repudiasse. At illum in visione Angelus Domini per inuia siluarum deducens, sitis ardore ad extrema vsque redactum, tandem super puteum statuit, cuius os auro circundatum, cuius aqua purior electro, aurea hydria, aurea catena, sed leproso hauriente trahebatur. Qui cum admonitus bibere, solam haurientis immunditiam sibi cupienti obsistere docuisset, ab Angelo audiuit. Sicut, inquit, omnia ista quæ ad vsum bibendi pertinent per se iucundissima, ministrantis non maculantur lepra: ita sacramenta diuina per se saluberrima, Sacerdotis nequaquam violantur culpa. Expergefactus ille didicit diuini mysterij efficaciam, per ministri nequaquam labefactari culpam. credidit supremæ maiestatis virtutem per lubricam nullo modo infirmari posse fragilitatem. Tali modo Christum prædicans, & auditores vtiliter instruens oratio, oratoris nequaquam contaminatur vitio: nec scribentis peccata ad ædificationis efficaciam impediunt scripta, sicut & mundæ materiæ naturam nullo modo videmus corrumpi per artificis culpam. Credo etiam te Pater Antonine scriptoris tui non prauã actionem, sed officiosam deuotionem respicere, & sicut per te mediatorem facta sunt, quç scripsi, ita per te intercessorem, non puniri si quà scribendo peccaui. Quin etiam pro tua ineffabili beniuolẽtia præmio me donari nõ diffido, quod potius in futurum iudicium mihi reseruari cupio, vbi sola veritate nocentem vitam accusante pericli-

tari, & ſola miſericordia adiuuante liberari me poſſe nō dubito. Recordare quæſo tui exulis ſcriptoris, nam & tu quondam in hoc mundo exul factus, qualis erumnarum tumultus cor exulantis circumuallet non neſcis: expertuſque malum miſeris ſuccurrere noſti. Communi nunc ſupplicatione, & vnanimi deprecatione te, Pater Sancte, te patrone beneuole Antonine rogamus, vt Ciuitatem iſtam tuæ interceſſionis adiutorio protegas, populumque ipſius Chriſto tibique deuotum facias, quatenus Deo ſeruiendo, & te amando, & venerando officium complens, hic & in futuro mercedem accipiat ab eo, qui eſt retributor omnium bonorum Chriſto Ieſu Domino noſtro: Qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per infinita ſęcula ſęculorum. Amen.

✠

Vetus

Vetus
ECCLESIÆ SVRRENTINÆ LECTIONARIVM
Siuè Vita
EIVSD. S. ANTONINI ABBATIS.
Per Lectiones antiqui Ecclesiastici officij distributa.

Lect. I.

CVM ex fructu cognoscatur arbor, vt ab effectu cognoscimus causam, nil verendum arbitremur, bonos fructus præ Domini sententia ex bona arboris radice progredi, vt solares radios ex Solis luce cernimus effulgere. Antoninus itaque noster, ex quàm nobili processerit genere, honestisq; parentibus fuerit ortus, tum grauitate morum patefecit, tum vitæ sanctimonia plurimùm commendauit. Optimæ namq; indolis infans, honestis natus parentibus honestè adeò vixit à puero, vt non solum mundo gratus esset iuuenis, verùm etiam cœlo quàm gratissimus senex. Nam superno illustratus lumine cor suum illicò Spiritui sancto dignum sacrauit sanctuarium. Quo quidem duce, velut alter Patriarcha Abraham, de terra sua, de cognatione sua, & de domo patris sui egressus, tempore, quo immanis Longobardorum feritas, & ferina VVinilorum

al. Vuãdalorum.

immanitas omnia ferè Campaniæ oppida igne succenderet, ferroque deuastaret, Parthenopes ingressus est agros, vbi Amplissimo Stabiensis Ecclesiæ Præsuli, nomine Catello, viro quidem doctrina insigni, sanctęque vitæ fama præclaro, familiarissimè adhæsit.

Lect. II. Cui cum perinde coniungeretur, atque vmbra corpori, vnus in duobus corporibus animus erat, par voluntas, idem de virtute in virtutem proficiendi studium, nō discors ad beatitudinē regni perueniendi officium. Pōtifex non vt Clericum diligebat Antoninum, sed tanquā Episcopum & collegam. Venerabatur Clericus Catellū vt Pontificem Christi atque Dei vicarium: certatim se honore præueniebant, amore exosculabantur, virtute instruebant, adeò piè religiosè atque Christianè communē vitam degebant, vt alter alterius Magister & discipulus facti, vterque pari studio Christum imitarentur, mutua humilitate decertabant, vicarijs officijs alter alterum superare contendens sanctæ vitæ exemplis populum Dei ædificare absque odio & inuidia moliebantur, cor vnum & anima vna facti, idem velle, idem nolle in sancta conuersatione habebāt, nulli graues, nulli agrestes, nulli inhumani, omnibus grati, cunctis vrbani, singulis benigni in humana conuersatione Angelicam vitam vniuersis præferebant, lectione atque oratione spiritum roborantes, carnem ieiunijs, ac vigilijs edomabant, non minus sal terræ, quàm lux mundi singulariter effecti.

Lect. III. Verbum Crucis nō erubescebant, sed omnibus palam reuelata facie voce & opere euangelizabant. Crucem Christi non tanquam Cyrenæus ille in agonia deferentes, sed velut athleta Paulus, crucem & stigmata Iesu in suis corporibus exprimentes, mundo Crucifixi, vitijs & concupiscentijs mortui, dilecti Deo & hominibus inter homines viuebant in terris: inter Angelos vt Cœlestes Angeli mente versabantur in cœlo, vt ciues Sanctorum & domestici Dei. Pontifex interea Catellus, cùm quietius sacræ theoriæ operam nauare vellet, nec alterum haberet, cui fidentius Pastoralem curam committeret quàm

An-

Antoninum, protinus illum ad se accersitum ad subeundum Episcopatus onus adhortatus, in nemorosos siluarũ recessus, atque in vasta montium fastigia se illicò recepit, vbi velut emensus vndisoni maris fluctibus in tuto portu delatus anachoriticam diu vitam solus transegit. Denique montem quendam & maris prospectu gratum, & camporum planitie amænum ascendit, cui nomen, ob nocturnam Michaelis Archangeli apparitionem, accensique cerei visionem sibi & B. Antonino ibidem cęlibus factam, atque ob Oratorium eodem in loco erectum in Michaelis Archangeli honorem, Michael Archangelus vulgò inditum est.

Huc non multò post tempore B. Antoninus, dimissa Episcopatus cura, atque contemptis sæculi fauoribus perrexit, vbi tanquam ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum accensa, non solum cœli se in dies reddebat municipem puritate spiritus, sed etiam omnium circumiacentium oppidorum populis, vitæ sanctitate, bonorumque operum exemplis adeò se præferebat imitabilem, vt ab omnibus certatim populis diligeretur vt pater, veneraretur vt sanctus. Inter quos Surrentinus populus maiori erga eum dilectione affectus, præstantiorique pietatis officio studiosus, nacta oportunitate adit, consultò alloquitur, humiliter rogat, enixè compellit, precibus persuadet, vt ob Christi amorem, hominumque salutem, posthabitis ferarum lustris, atque squalentibus montium antris, in Surrentinam descenderet vrbem inter homines conuersaturus, atque eos ad melioris vita frugem suæ sanctæ conuersationis exemplo allecturus. Cui vt pius erat & benignus gratanter annuens ciuitatem sibi fecit eremum, Eremitam sub monachali cucullo gessit. Monachus verò sub Bonifacio Monasterij S Agrippini Abbate, viro quidem doctrina præstante, ac morum grauitate insigni, militare Deo cępit, subesse potius, quàm præesse desiderans, atque discere magis tentans quod nesciret, quàm docere impudenter quod ignoraret.

Lect. IV.

Hic

Lect. V.

Hic vigilijs & orationibus incumbens, non tantùm cum Angelo, ac si alter Iacob, vsque mane luctabatur, sed cum Elia speluncæ ostio innixus, sibilum auræ tenuis degustabat, non tam lippose Liæ iunctus, quã speciosæ Racheli copulatus. Stiuam quam acceperat aratri non dimittebat, sed posita manu super aratrum quæ retro sunt oblitus, ad anteriora se in horas extendebat, tunc minus otiosus quàm cum otiosus esset. Illecebras gulæ carnisq; petulantiam lectione & oratione infrænans, ieiunio & quotidiana manuum opera edomabat, non modò cum satagente Martha Christum pascens in paupere, verum etiam cum Maria ad Christi pedes sedens pauper ipse opiparè pastus. Ligone & ascia non minus vtebatur quàm fabricatoris trulla & perpendiculo . . . .
. *Multa hic desunt* . . . .
. . vt eius vinum ob sui optimi saporis virtutem, Antoninum nomine vocetur vulgò. Extruxit quoque Oratorium quoddam, Diuoque Martino dedicauit, eiusque ostia per quã fabrè dolauit, exculpsit, atque artificiosè composuit, ociositatem omnium virtutum nouercam, cunctorumque vitiorum alumnam ita quotidiano labore effugabat, vt de virtute in virtutem strenuè ascenderet, & inter Angelos crebrò discurreret.

Lect. . . .

Cum autem Abbas Bonifacius graui affectus ægritudine, capulo pœnè instaret, accersitis ad se fratribus persuasit, vt post obitum suum, Antoninum, quem præ cęteris dignum decernebat, in Abbatẽ sibi eligerent. Quod illicò Monachi omnes communi consensu, pari voto, vnanimi studio quàm libentissimè perfecerunt. Ipse autẽ diu, qua præstabat humilitate reluctans, & se potius ab alijs regendum, quàm alios recturum existimans, importunis fratrum precibus tãdem deuictus, humillimè consensit. Institutus itaque Abbas, talem se omnibus exhibuit, vt à singulis amaretur vt pater, timeretur vt magister, diligeretur vt socius, virga non minus vtens quàm baculo, & desides correptionis verbere excitabat ad bonum, & infirmos sustentabat charitatis officio ne laberẽtur

tur in vitium,infundens oleum & vinum in eorum vulnera. Nil alijs inconfultò imperabat, quod ipse prius confultò non egiſſet: opere potius docebat quam voce. Se ita Abbatem erga monachum gerebat,vt monachum optaret erga ſe acturum ſi eſſet Abbas,nulli infeſtus, omnibus comis. Aliorum virtutes ita inuidebat vt vinceret, non vt negligeret. Ita perſequebatur vitia,vt vitioſos nō exulceraret, ſed conuerteret. Aliena facinora vt propria deflebat,& ſuam miſeriam animaduertens,aliorum defectus benignè curabat; omnibus omnia factus, vt Christo ſingulos lucrifaceret. Opere potius quàm verbo fratribus ſe reddebat imitabilem, atque amari potius ſtudebat quam timeri, & humilitate cęteris præſtare, quàm elatione ſuperare.

In vno eodemq; homine & deuotū præſeferebat monachum,& humilem agebat Abbatem,non quærens quę ſua ſunt,ſed quę alterius. Zelū ſic exercebat,vt amaritudinem non ſentiret: iuſtitiam ſic operabatur,vt hipocryſi nulla afficeretur.Charitate profuſus,à proprietate alienus:ſua curabat,vt omnibus eſſent communia. Communia prouidebat,vt nihil ſibi reſeruaret. prodeſſe cunctis, nulli obeſſe vnquam,inuigilabat. Seniores,vt patres honorabat, iuniores in Christi amore, vt filios diligebat. Nil ſibi charius cœlo exiſtimans, omnia mundi oblectamenta,vt ſtercora,reputabat. Quàm felix Paſtor, quàm illuſtris? qui gregem ſuum quandoq; ita præibat imitabilis,vt tardos operum luce accenderet ad virtutes, & celeres verbo auerteret à vitijs. Infirmos manna paſceret: paruulos nutriret lacte,& fortes reficeret pane & ſolido cibo.Tentationes Dæmonum, oblectamenta carnis,mundique irritamenta fide firma,ſpe certa,charitate non ficta, ſuperabat,ſuggeſtiones Dæmonum oppugnās, carnis illecebras edomans,mundi luxum ludumque con temnens,verè Iſmelita in quo dolus nō erat.*Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*: qui accepta talenta non in ſudario ligauit,nec effodit in terra,diligens vinitor, ſtrenuus agrico-

Lect.

la, qui non minus laborauit in vinea Domini, quàm in agris illius.

Lect. His demum studijs inuigilans vir Dei Antoninus, non velut villicus iniquitatis, sed tanquam seruus, qui in pauca fidelis super multa esset constituendus, intraturusque in gaudia Domini sui, graui mox ægritudine affectus, strato decubat, quieturus quidem à labore suo, & de talentis geminatis accepturus in breui mercedem suam. Monachi verò prospectantes Abbatem in momento deficere, mortique paulatim adhærere, post diuina eius monita, & salutis documenta, humillimè percunctātur, vbi post funera, vellet sepeliri, quibus ipse sagaciter; Nec me intra, nec extra vrbem sepeliatis, suppliciter oro, deuoti filij, pijssimi fratres. Quo dicto, corpus terræ commendandum alacriter dimittens, spiritum super æthera, ad eum qui dederat illum feliciter emisit XVI. Kal. Martij. Monachi autem extrema Abbatis verba diligenter, & accuratè scrutati, vno omnium consensu decreuerunt, venerandum Abbatis cadauer intra Ciuitatis mænia honorificè tumulandum. Quod & piè, & religiosè confestim perfecerunt, aspirante eis gratia Spiritus sancti, qui cum Patre, & Filio regnat Deus in sæculorum sæcula. Amen.

Hymnus ad Vesperum.

Ex Eod. Cod. M.S.

DIVE, Surrenti decus, Antonine,
Ætheris clarum super astra sidus,
Quo nigrum pellis Satanam, nitore,
Fautor adesto.

Sacra dum fulgent tua laude digna!
Perpeti, clerum precibus vacantem,
Et pium cernas populum per aram
Dona gerentem.

Ante sublimis solium Tonantis
Tam preces clari superis dicatas,
Quàm pij defer populi sacrata
Munera coelo.

Noster in mundo Pater extitisti,
Noster in coelo mediator esto,
Strenuus tutor, vigil & Patronus
Fidus in æuum.

Nos tuum pompa gerimus triumphum
Annua, cincto viridi sepulchro
Fronde, nos ceris oneramus aram
Thura cremantes.

Magna tu nobis & opima coeli
Dona thesauri solito repende
More: da fruges, oleum, falerna,
Peste fugata.

Cui genuflectunt superi canora
Voce laudemus Dominum, perenne
Illius Numen veneremur omni
Laudis honore. Amen.

DE S. ANTONINO.

Hymnus.

AD MATVTINVM.

olim dictus.

O Antonine cœlites
Inter coruſcos lucifer
Coruſce: tetros profuga
Tuo nitore Dæmones.
Hi nocte nos illecebris
Irretiunt carnalibus:
Tu luce nos cœleſtium
Mox Angelorum protege.
Si noſtra turbant cantica
Quæ corde puro pſallere
Conamur: adſint cœlica
Quæ te verentur agmina.
Sic vere pſalmos conſona,
Promamus inter Angelos,
Vt noſtra mens non diſſona
Sit ante cœli Principem.
Immane forti brachio
Agmen propelle Dæmonum:
A corde noſtro criminum
Exterge ſordes omnium.
Sit Trinitati gloria,
Par Trinitati gratia.
Sit Antonino Laurea
Eius clienti fulgida. Amen.

Hymnus, ad Laudes olim dictus.

Ex Eod. Cod. M.S.

SI, tibi, Sanctus Pater Antoninus
Obtulit florem iuuenilis æui,
Christe, quos puro modulamur ore
Offerat hymnos.
Huius insignem colimus triumphum,
Quo suburbano tumulata muro
Membra dimittens, super astra victor
Scandit ouando.
Gratus hic mundo fuit à tenellis
Vnguibus, matris fuerat sub aluo,
Gratior cœlo, magis est in vrna
Gratus vtrique.
Huc quis immani Satanæ furore
Venit inuasus, merito atque eius
Liber abscessit, Satan horret huius
Ossa sub ara.
Sæuit hic vultu Belial trifauci
Obstrepit rictu, fremit ore, ocellis
Flammat ignitis, vomit acre virus
Pulsus ad ima.
Veste iam pulla monachum professus
Mira gessisti Pater, astra calcans
Engeris multò meliora Diuum
Tectus amictu.
Trinitas per te sacrosancta nobis
Criminum donet veniam, salutis
Gratiam, sedes superum, beatæ
Munera vitæ. Amen.

videtur innuere Narrationem istam ore fuisse ab Auctore prolatam in B. Antonini fortasse die festo. Quin & paulò inferius se audita loqui *profitetur;* Loqui, *inquit, ergo ad Orationis formam hanc lucubrationem declamitauit: vt proinde mirum non sit sæpè digredi illum de Historia ad mores, hortarique ciues Surrentinos, vt Patronorum cœlestium cultum indies exaugeant. Verùm cùm pagina vlt. verba illa sint:* Credo etiam te, Pater Antonine, Scriptoris tui non paruam actionem, sed officiosam deuotionem respicere: & sicut per te Mediatorem facta sunt, quæ scripsi, &c. *liquidò patet hanc Narrationem, non dictam, sed scriptam fuisse; refertam tamen ethicis digressiunculis.*

Not. II. Ac, vt primùm de eius patria, aut parentela tractemus, sicut ignotam habemus, ita non necessarium existimamus, &c. *Itanè verò? at constans nihilominus & haud contemnenda traditio est, B. Antoninum fuisse Campaniæ, vrbis Picetinorum Ciuem è* Cacciuttorum, *siuè, vt latinè effertur, è* Catellorum *antiqua stirpe, quæ etiamnum extare dicitur: ostenduntque Campanienses veterem Antonini domum qua natum, educatumque fama est. Porrò Vita huius Diui, per Ecclesiastici officij lectiones distributa, quam huic lucubrationi adnectimus, palam aperit B. Antoninum* è nobili genere *processisse. Itaque Campaniensibus vtpotè B. Antonini ciuibus, danda iure est sui municipis cognitio exactior, quàm in extero hoc scriptore extiterit. Et nos illis præ hoc credere debere, aurea illa Taciti sententia adeò permouet, vt tantùm non cogere videatur.* Vt conquirere, *inquit,* fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis crediderim, ita vulgatis, traditisque demere fidem non ausim. *Hæc ille. Interea è* Cacciuttorum *mihi vocabulo subolet coniectura, vt puto, probabilis, Catellum illum Stabiensem Episcopũ, ad quem B. Antoninus, vti infrà dicetur, confugisse legitur, suum fuisse consanguineum, aut certè gentilem. Postea verò, Itala ista qua nunc vtimur, lingua, è latina*

Hist. lib. 2.

illa

illa corrupta, sensim enascente, mutatum Catellorum *in* Cacciuttorum, *incolumi tamen significatu, esse vocabulum. Id quippe euenisse plerisque alijs nobilibus cognomentis facile est in priscis Historijs obseruare. Sic namque ij, qui olim Rubei, Aquillij, Erycij, Asellij, Palatini, Claudij, nunc* Rossi, Dell'Aquila, Ricci, De gli Asinelli, Paladini, *&, quæ Bergomi clara est prosapia,* de' Zoppi, *vulgò dicuntur. Lege Mutium de Sanctis Bergomatibus Domno, & Domnione, & antiquarum Stirpium Syntagmata.*

Not. III. Quo tempore Langobardorum ferina immanitas. *Vetus autem B. Antonini Lectionarium sic habet:* Tempore, quo immanis Langobardorum feritas, & ferina Vuandalorum immanitas omnia ferè Campaniæ oppida igne succenderet. *Primo igitur adnotandũ se hoc loco offert, Langobardos dictos etiam fuisse Vuandalos, siuè Vuinilos. Vuinilos appellat Sigebertus De Scriptor. Eccles. cap. 80. & Ordericus Hist. Eccles. lib. 4. ad annos 1070. qui & Guinilos vocatos esse tradit à Guitmundo Monacho in Orat. ad Regem Angliæ.* Guinili, qui de Scandinauia Insula forte eiecti sunt, regnante Alboino Rege filio Audonis, partem Italiæ, quæ nunc Lãgobardia dicitur, inuaserunt. *His verò multò antiquior Paulus Diaconus de Gest. Langob lib. 1. cap. 12.* Vuinili, *inquit*, ijdem sunt, ac Langobardi. *Vuandali etiam dicti sunt (quamquam rarius, & fortasse per errorem, qui ex vicinitate vocum irrepsit calamis atque linguis) vti apud Ortelium Thes. Geograph in dictione* Vuinili *obseruare est. Alioquin Vuandali à Langobardis discreti, iampridem abacti fuerant tota Campania. Nam vltima eorum irruptio fuit, abducto secum Diuo Paulino Nolæ Episcopo, anno sal. 427. Lege Baron. Not. in Martyrol. Rom. ad 22 Iunij. Scriptor autem iste anonymus, de tempore, quod paulò ante Sicardi Beneuentanorum Principis ætatem excesserat, loquitur, hoc est, de anno octingentesimo, & quod excurrit, vti mox dicam. Hactenus itaq; de Langobardis, qui dicti sunt* Vuinili, *siue* Vuandali.

Nunc

Nunc verò, quanam Campaniæ deuastatio his, quæ proposuimus adnotanda, verbis significetur, diligenter est inquirendum. Ex eo quippe pendet cognitio, quonam Christi anno B. Antoninus ad agrum Stabiensem secesserit, atque adeò, quonam sæculo vixerit. Video siquidem recẽtiores, qui de Vita Diui huius scripsẽrũt, magno consensu, sed nulla prorsus Chronologiæ, quæ lux Historiæ est, consideratione, in quandam planè absurdam, & secũ pugnantem conuenisse sententiã, atq; asseuerasse, B. Antoninum tunc emigrasse Stabias, cùm Zoto Dux Langobardorum Cassinense Monasterium diripuit, atque vastauit. Sed hæc certè opinio, quã primus excogitauit, atq; edidit Antonius quidam Ebulensis, cognomento à Porta, libello de Vita S. Antonini à se cõposita anno 1535. Neapoli impresso, atque ab eo vno cæteri recentiores, vulgaresque Βιογραφοὶ *mutuati sunt, immanem continet prochronismum. Examinemus parumper. Primùm hic idẽ scriptor Anonymus, quo non habemus antiquiorem, in Tract. de Mirac. & Inuent. corporis S. Antonini, apertè tradit, non multò ante Sicardum Beneuenti Principem vixisse Antoninum. Sic enim incipit illum Tractatum,* Post decessum Beati Antonini non multo tempore euoluto, Princeps Beneuentanus, Sicardus, cæteris finibus suæ ditioni subiugatis, terram etiam Syrrentinorum eadem intentione inuasit. *At verò Sicardus iste penè ducentis quinquaginta annis distat à Zotone. Nam Zoto factus est Dux Beneuenti an. 571. vti ex Leone Ostiensi alibi à nobis probatum est; euertit autem Cassinense Cœnobium an. 589. Pelagij II an. vlt. At Sicardus successit Siconi patri suo anno, vt in Propylæis ad quatuor Chronica digessimus, 830. Fac verò obsedisse Surrentum circa annũ 836. Habebimus præterijsse annos 247. ab euerso per Zotonem Monasterio Cassinensi, ad obsessum à Sicardo Surrentum: quod quidem nulla ratione dici potest paruum, aut* non multum tempus: *ac proinde falsissimum est B. Antoninum vixisse, vel Stabias aufugisse Zotone Beneuẽti Duce, qui supra ducentos quadragin-*

ta annos Sicardum præcessit. Mitto nunc, quod alibi for- tasse fusius discutiam, in hisce antiquis Monumentis ne- quaquam haberi Antoninum, Cassinensis Cœnobij fuisse Monachum, aut ex eo Stabias secessisse. Quinimmo Hie- ronymus Lauretus, qui nuper valde diligenter Chroni- con Cassinense Leonis Ostiensis eruditis scholijs illustra- uit, nihil prorsus è Cassinensi Bibliotheca, antiquis alio- qui monumentis, atque Codicibus refertissima, de Anto- nino proferre potuit. Quocirca ea pauca tantũ recitat, quæ in Romano Martyrologio nuper scripta legisset. Magnũ item de eo silentiũ obseruare est in Paulo Diac. Desiderio Abb. Petro Diacono, Trithemio, alijsque omni- bus, qui viros illustres, atq; Diuos Cassinensis Cœnobij recensuere. In Romano autem Martyrologio ea res non ante Baronium legebatur: qui nihilominus cùm in No- tationibus non aliũ citet auctorem, nisi Surrentina Mo- numenta à Paulo Regio relata, & Italicè edita, pruden- ter quidem τὸ, vt ferunt, *apposuit: significans ea cau- tionis formula, se, de anno 625. quo P. Regius scribit obijsse B. Antoninũ, fidem reponere penes auctorem. Id- ipsum obseruare est in Antonio illo à Porta, qui tametsi primus absurdæ huius supputationis, & opinionis auctor extitisse videatur, non est tamen ausus eam pro certo statuere, sed Narrationem à se excogitatam credulitati legentium commisisse apparet, cum inquit*, In quo *(Mo- nasterio Cassinensi)* cùm Sanctus Dei Antoninus vitam cœlibem, semel Deo oblatam, vt pium est credere, dege- ret cum alijs Deo famulantibus, fuga seruatus, se ad Ca- tellum contulit. *Dubitanter igitur hic etiam Auctor vi- detur asserere B. Antoninum, tunc Cassinensis Cœnobij fuisse alumnum, si ea verba,* vt pium est credere, hoc est, vt pia imaginatione mihi videor comminisci, *ad Cassi- nense Cœnobiũ referantur: non enim referri possunt ad vitam cœlibem; eam quippe adeò certum est B. Anto- ninum Monachum egisse, vt putidum sanè fuisset ijs ver bis voluisse firmare. Obseruaui præterea, iam dictũ An- tonium à Porta, dum narrat Surrenti obsidionem, eam,*

non

non Sicardo, sed Romualdo Duce contigisse, asserere: quod, opinor, fecit, vt tanti temporis, quantum à Zotone ad Sicardum est, ingentem hiatum, ea ratione minueret. Sed frustra is quidem Sicardum in Romualdum mutat: tum quod id contra omnium antiquorum Codicum fidem profectò est, qui magno consensu, & constantia Sicardum, non autem Romualdum habent, tum etiam; quòd cum duo extiterint Romualdi Beneuenti Duces, alter Grimoaldi, alter Gisulphi filius, horum certè neuter Surrentum vnquam obsedisse, legitur. Id solummodò tradunt Paulus Diaconus lib. 6. cap. 40. & Anastasius, ac Platina in Vita Gregorij II. Romualdum hunc iuniorem Gisulphi filium, Cumas per vim occupasse; de cætera verò Campania ab eo vexata aut de Surrenti Vrbe obsessa nihil vspiam repperi. Accedit hisce incommodis, neque in hunc Romualdum, qui vita functus est anno 734. posse aliqua ratione conuenire verba illa, Post decessum Beati Antonini non multo tempore euoluto. *Nam si, vt recentiores isti supputant, Beatus Antoninus obijt anno Christi 625. certè plusquam centum annos præterijsse necesse est ab eius obitu, vt ad Romualdum, Surrentum vrbem obsidentem, perueniatur. Quomodo igitur dici verè potest* non multò post, *si post totos centum annos id contigit? Denique manifestè deprehenditur quantum à vero dissideat: imaginosus ille Narrator, ex eo, quod subijcit, Beatum Antoninum, quo tempore Zoto Cassinense Monasterium diripuit, hoc est, anno, circiter, 589. Stabias secessisse, atque adhæsisse Beato Catello, Stabiarum Episcopo, eundemque postea à Sabiniano Papa in carcerem trusum, suis apud Deum precibus iuuisse adeò vt liber rediret Stabias. At scire, & meminisse debebat Ebulensis ille, Sabiniani, & Bonifacij tempore non Catellum, sed Laurentium fuisse Stabiarum Episcopum. Id quippe tradit inscriptus lapis, qui Aequis (Capacio teste) seruatur, his verbis,*

In hoc tumulo requiescit V.B. Laurentius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ciuitatis Stabiensis, qui vixit annis plus minus XXXX. Sedit in Episcopatu XII. Depositus die IIII. Kal. Martiarum. Ind. XV. Imperante Heraclio Aug. anno secũdo.

Heraclij annus secundus fuit Christi annus 612. Laurentius igitur inijt Episcopatum Stabiensem anno 600. extremo, vel 601. incboante, & vixit vsque ad Bonifacij Quarti annum sextum. Sabiniani itaque, & Bonifacij Tertij integri Pontificatus peracti sunt viuente Laurẽtio, nõ aũt Catello Episcopo. Quocirca tota ea narratio de S. Catello Episcopo à Sabiniano Papa in carcerẽ detruso, & à Bonifacio III. Sabiniani successore absoluto, & Stabiã remisso, inter aniles fabulas reponẽda est.

At tibi, inquies, quid videtur? Dicam breuiter id, quod coniectura assequi potui in re obscura. Cùm iam satis constet non multò ante Sicardum Principem, in cælum migrasse Antoninum, cogimur proinde illum statuere circa an. sal. octingentesimum: atque adeò dicere non dubitamus, Beatum virum secessisse Stabias, quo tempore Sico Beneuentanus Princeps Sicardi pater Campaniam longè latèque populatus, Neapolim etiam longa obsidione fatigauit, vt Herempertus in Historia fusiore & Leo Ostiensis lib 1. cap. 19. tradunt. Id, quia accidit Bono, Neapolis Consule, & Duce, vti ex Epitaphio lapidi inciso constat, Bonus autem iste annum tantummodo cum dimidio Ducatũ gessit, mortuusq; est V. Id. Ianuarij an. Christi 819. quod ex Indictione XII. qua ibi legitur, facilè habetur, necesse proinde erit figere iam dictam cladem à Sicone illatam, & B. Antonini secessum Stabiensem

ſem ad annum Chriſti 818. *Idque bene congruit cum anno primo Siconis, quem Annales Francorũ, ab auctore illius temporis ſcripti, tradunt Principem Beneuenti factum eo anno, non autem an.* 817. *vt Leoni Oſt. lib.* 1. *cap.* 19. *placuit. Erat verò tũc iam ſenex B. Antoninus: Sic enim vetus pictura imaginis eius; apertè ſignificat: vt mirum proinde haud ſit, non vltra duodecim annos produxiſſe vitam; quam hoc modo probabiliter digero, quantum, ſtatuto iam Stabienſis ſeceſſus anno, per coniecturam aſſequi poſſum:* Melius qui conijciet, Vatem (*vt ille ait*) hunc perhibebo optimum.

Cic. de Diuinat.

Anno 818. *Beatus Antoninus, ex incerto quodam Cãpaniæ Monaſterio Benedictini inſtituti, & Caſſinenſi Abbati, vt puto, ſubiecto, profugit Stabias. Ex incerto, inquam, Monaſterio; quia nullus veterum Scriptorum, quodnã fuerit declarat. Illud nihilominus certum fermè eſt, fuiſſe Cãpaniæ Monaſteriũ. Nã cũ Anonymus iſte tradat, ideò Antoninũ fugiſſe, quia Cãpaniã Langobardi ferro, & incendijs latè vaſtabant, apertè conſequitur, illum non aliunde fugiſſe: ſimulque apparet non abijſſe è Cœnobio Caſſinenſi. Mons namque Caſſinus, in quo illud* Diſciplinæ regularis principale Gymnaſium *ædificatum eſt, non in Campania, ſed in nouo Latio, & ſignatè in Volſco agro ponitur à Liuio, Strabone, & Plinio. Lege, ſi lubet, Cluuerium lib.* 3. *antiquæ Italiæ pag.* 1040. 1041. *vel, ſi antiquos mauis, Varronem lib.* 6. *de lingua Latina, qui Samnitium oppidum eſſe docet. Porrò Campanum illud Monaſterium, quodcunque fuerit, è quo migrauit Antoninus, nõ niſi Benedictini Inſtituti fuiſſe exiſtimandum eſt. Quanquam enim, in Campania nonnulla olim extitiſſe Baſiliani Ordinis Cœnobia, negari non poteſt, quia tamen à Benedicto ad Antoninum, vti ex dictis ſuperius conſtat, multa annorum ſecula præterierunt, putandum vtique eſt, in tanto temporis ſpatio omnia propemodum Cœnobia Campaniæ, vtpote Caſſino vicina, Beatiſſimi Benedicti, magni in Occidẽte Monachorum Patriarchæ inſtitutũ fuiſſe amplexata. Quinimmo*

probabiliter existimari posse assero, ex ijs, quæ tradunt Leo Ostiensis, & Petrus Diaconus de innumeris circumquaque Monasterijs, è Cassinensi veluti plantis ex magna arbore propagatis, Monasterium illud, è quo Antoninus abijt, fuisse Cassinensium Magno Abbati subiectum. Et hac equidem ratione Beatum Antoninū inter Diuos Cassinenses enumerari posse non dubito.

Anno 827. qui fuit vltimus Eugenij II. laudatissimi Rom. Pontificis, B. Catellus apud illum per calumniam accusatus, Romam accersitus est, & in domesticum carcerem trusus.

Eodem anno 827. mortuo iam Eugenio secūdo mense Augusti, à Valentino Papa solutus carcere B. Catellus redijt Stabias: & Antoninus Bonifacio hæsit.

Fac postea an. 828 successisse Antoninū Bonifacio Abbati. Nā Acta Antonini dicūt, nō multò post quā illi Antoninus adhæsit, obijsse Bonifaciū Agrippinensē Abbatē.

Fac item Abbatiam deinceps rexisse Antoninum annis plus, minus, duobus. Tot enim satis fuisse apparet condendæ vineæ, & sarciendæ domui, ac Monasterio, vt eum fecisse in vitæ gestis legitur.

Anno itaque 830. verisimile est obijsse B. Antoninum, hoc est duodecimo postquam è Cāpania Benedictino Monasterio profugit Stabias.

Sicardus verò post sex annos ab obitu B. Antonini, videtur obsedisse Surrentū, & Diuinam virtutem sensisse in eo Diuo ibi sepulto. Fuit autem is annus à Christo nato 836. & penultimus Vitæ Sicardi Principis. Hæc nunc summatim indicasse satis esto, suis postea locis fusius explicanda, & confirmanda.

Not. IV. Sanctus iste noster Patronus Antoninus. *Ex his verbis colligitur, Ciuitatem Surrentum olim sibi Patronum adsciuisse B. Antoninum. Mos iste, decorus simul & vtilis, multis iampridem Christianis Vrbibus ac Municipijs vsitatus legitur, id videlicet expertis, quod B. Ambrosius lib. 5. in Lucam, disertè pronuntiauit*, Sanctos Diuini Numinis seruos, & interuenien-

niendi apud Deum habere meritum,& ius etiam impetrandi. Adhibendos igitur esse eiusmodi precatores, quorum contemplatione, quod nobis Dominus negare posset, ignoscat. *Sed de hac re, latius σὺν θεῷ differam in Ecclesiæ Neapolitanæ Fastis, cum de Patronis eius Vrbis incidet Tractatio.*

Not. V. Terrã Syrrentinorũ. *Ita Ciuitatẽ hanc appellatam lego in vet. Cod. Et verò multa sunt, quæ Latini per u, Græci autem per y efferunt. Inde ea varietas, Sibulla, & Sibylla, Sulla, & Sylla, Murena, & Myræna, Murrha, & Myrrha, Indutus, & Inclytus, Cumæ ciuitas, & Cyme; atq; id genus plurima passim occurrunt. Porrò à Syrenibus huic antiquæ Ciuitati prouenisse vocabulum, testatur Papinius noster, Carm. de Surrentino Pollij, his versiculis,*

Est inter notos Syrenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ Templis onerata Mineruæ.

Docet præterea Plinius lib. 3. cap. 5. Surrentum cum promontorio Mineruæ, Syrenum quondam extitisse sedem: Quocirca totam illam maritimã oram, quæ à Sarno fluuio ad Mineruæ promontorium, Massamque Lubrensem extenditur, Syræum vocat Strabo. Vt proinde non sit mirandum apud vetus Lectionarium de vita B. Antonini, territorium Stabiense appellari, Parthenopes agrum.

Not. VI. Illum ergo verticem,&c. *Episcopum Catellum, relicta Stabiarum vrbe, & posthabita Pastorali cura, Angelici montis verticẽ adijsse, ibique contemplationibus Diuinis diutius vacasse, mirabitur fortè quispiam. Sed cessabit, aut certè cessare debebit admiratio, inspectis complurium Sanctorum Episcoporum, qui idẽ fecisse leguntur exemplis. Ne autem lectorẽ nimio numero obruam, pauca hæc & selectiora propono. In primis B. Petrus Damianus Episcopus Ostiensis, & Eugubinus, adeò solitudinis amore exarsit, vt Monasterium quo sub regula B. Benedicti diu ante Episcopatũ vixerat, repetiuerit: ibique iugiter psallendo, orando, legendo,*

do, & senile corpusculum vigilijs, ieiunijsque macerando institerit. Refertur id in Gestorum eius Collectione à Caietano Abbate accuratissimè elucubrata cap. 17. Eodem propemodum tempore vixit, & floruit Sanctissimus Hugo Lincolnienſis Episcopus, quem singulis annis, æstiuis vacationibus secedere solitum ad suum Vuictamiense Monasteriũ, tradit Anonymus scriptor Vitæ eius cap. 13. Sed propius atque similius Catelli facto est B. Laurentij Episcopi Dublinensis exemplum. Hic enim Sanctus Præsul non solum solitariam vitam, sed specum etiã abditissimã & omnibus imperuiam persæpe petebat: ibique totas esuriales quadragenas velut alter Moses, Deo tantum & Angelis testibus, peragebat; illo interim, qui olera, & panem porrigeret, per scalam ascendente, cuius ima pars in aqua figebatur, superior ad speluncæ os pertingebat. Augensis in vita eius cap. 17. Nouerant sanè hi Sancti Episcopi se nihil detrimenti per eiusmodi secessum populo quem regebant, illaturos. Animarum quippe negotia multò melius expediri orando, & è cœlo consilium atque auxilium implorando, quàm solius humanæ mentis viribus agitata: & viuaciorem præterea redire animum, curarum secularium excusso subinde puluere, atq; orationis cote politum. Eæ præcipuæ fuerunt causæ sanctis Episcopis secedendi ad tẽpus è mundi fluctibus, & gregem variorum phantasmatum vnà cum Mosè minandi ad interiora deserti. Catellum autem cùm secessit, primò B. Antoninũ, vt acta hæc tradunt, deinde verò eo tempore, quo cum eodem Antonino in solitudine mansit, alium quempiam Episcopali curæ succedaneum, Stabiensi Diœcesi præfecisse putandum est.

Not. VII. B. Michaeli Archangelo laus quotidie offertur. *Hinc colligi potest antiquitas Scriptoris huius. Ait enim sua ætate Aediculam, quam hodie indigenæ vocant* S. Angeli ad Faitum, *diuinis laudibus quotidie personuisse: quem sanè cultum & quotidianum cantũ ante aliquot hominum ætates cessasse compertum est. De-*

sit item iampridem frequens illa peregrinatio de vicinis & de longinquis partibus, *quam scriptor iste hic memorat. His adde, characterem Langobardicum, quo Codices de Vita Sancti Antonini scripti sunt, multis ab hinc saeculis obsoleuisset, vt hinc etiam scriptoris conÿci posit quatuor circiter saeculorum antiquitas.*

VIII. Catellus comprehenditur, Sedis Apostolicæ Rectori statuitur. *Catelli nomen priscis etiam aliis impositũ lego. Gruterus enim pag CL. 4. refert inscriptionem marmori incisã, qua habetur L. Catellius L. L. Barbarus cum aliis Viarum Curator, & S. Gregorius lib. 6. epist. 20. ad Fortunatum Neapolis Episcopum Catelli cuiusdam meminit. Alibi quoque fortasse reperietur à diligenti vocum eiusmodi perquisitore. Quòd autem B. Catellus, quem Stabiensis Ecclesia, vt Sanctũ, & vrbis Patronum veneratur, Hæreseos criminis tam falsò accusatus Romam nihilominus ab Eugenio II. accersitus. & carcere etiam maceratus sit, non est magis mirandum, quàm quòd S. Equitius Abbas, apud S. Symmachũ Papã, & S. Bernardinus apud Martinũ V. vt narrat scriptor tæ eius, ob eandem Hæreseos, suspicionem accusati, & calumniis pæne oppressi fuerint. Pro excusando autem Sanctiss. Eugenio Pontifice valeat hic Gregorii Magni memoranda sententia, qua B. Symmachum Papam excusat his verbis:* Vniuscuiusque Præsulis mentem curarum densitas vastat. Cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula: tantoque ei in vna qualibet re surripitur, quantò latius multis occupatur.

Lib 1. Dial. cap. 4.

IX. Citò enim Papa dufuncto, in Sedem Apostolicam ille succedens, &c. *Tò citò refer ad tempus carcere conclusi Catelli, non autẽ ad Eugenii II. Pontificatum, qui trium annorũ, & aliquot mensiũ fuit. Sensus itaq; est, haud multo postquam carceri nuncupatus est Catellus Episcopus, Eugenium obiisse, & Valẽtinum successisse, qui paulò postquam creatus est Pontifex, B. Catellum carcere eduxerit, & honorificè, vt par erat, habuerit. Vita B. Antonini sic habet:* Catellus in carcerem retruditur:

ditur: & Diuino, vt dignum est credere, nutu (quod sequens rei euentus comprobauit) quidam ex Clericis Papæ custos sibi adhibetur. *Subditque huic clerico summũ Pontificatum prædixisse Antoninum: eumque paulò post successisse Papæ, qui S. Antoninum, per calumniam apud se accusatum carceri concluserat. Hæ profectò circunstantiæ in neminem alium per hæc tempora quadrant, nisi in Valentinum, quem ex Rom. E. Archidiacõno, ob eius virtutes eximias, Eugenio II. charissimo, summis omnium Ordinum votis in Sedem Pontificiam, quamuis renitentem, fuisse illatum, narrat Anastasius. In hanc igitur meam temporum, personarumque designationem, optimè conueniunt omnia. Valentinus Eugenij II. Diaconus, adeò domesticus erat Pontifici, vt de eo Anastasius ita scriptum reliquerit:* Eugenius positus in Sede Apostolica eum cunctis quæ dixi, virtutibus decoratum luculenter agnoscens, omni vitæ suæ tempore charissimorum vice retinuit, & velut pater proprio filio corde congaudebat alacri, suisque aspectibus illum assiduè consistere cupiebat. *In huius Diaconi cubiculis, conclusum fuisse Catellum Episcopum; iure mihi persuadent tum accusatæ personæ dignitas, & grauitas, tum etiam Valentini pietas & benignitas tãtopere ab Anastasio laudata. Non insuetum in Vrbe ethnicis Christianisque temporibus, viros spectatæ conditionis, non publico, sed priuato, ac domestico carceri indere. Sic apud Sallustium, Catilinæ socii, quamuis alioqui sceleribus cooperti; quia tamen nobiles, & patritio, aut equestri genere erant: singuli singulis Senatoribus custodiendi tradũtur. Paulus item Apostolus, quia Ciuis erat Romanus, in libero, & priuato carcere detentus biennio est, vt Lucas tradit Act. 28. Adeò denique mos is frequens, receptusque, vt in legem quoque abierit. Adi, si lubet, L. Diuus Pius. ff. de Custod. reorum. Quòd verò B. Catellus Valentino custodi suo summum Pontificatum vaticinatus sit, id quidem probabile facit vtriusque viri spectata virtus, & cœlo grata probitas. Et sanè constat*

haud

haud raros extitisse Petri successores sanctitate conspicuos, quorum eximiam adeò dignitatem, aut indicia diuinitus præmonstrauerint, aut vaticinia verè prædixerint. Lege Pontificum Acta.

X. Suæ Reipublicæ consultissimè prospiciẽtes. *Imaginẽ quandã Reipublicæ habebant eo tpe Vrbes Cãpaniæ aliquot, videlicet Amalphis, Salernũ, Surrentũ, Capuã, Caieta, Neapolis: sed cum nonnullo discrimine. Quippe Neapolis, hoc ipso octauo, aut nono, de quo agimus Christi sæculo, florentior multò atque liberior alijs extitit, & vni Byzantino Cæsari in speciem subdita, Reipublicæ cui Dux præesset, formam vtcunque solidam retinebat. Cæteras verò non modò Orientis, aut Occidentis Augusto, iuxta diuisionẽ scilicet harũ Italiæ regionum, quã Nicephorus, & Carolus Magnus Imperatores inter se fecerant, sed alij etiam Dynastæ paruisse certum est. Nã ex antiquis Diplomatibus constat, Caietam Capuano Principi, Amalphim Salernitano; Salernum rursus, aut Beneuentano, aut Capuano, & Capuam denique ipsam, quamquam Campaniæ caput quondam audiuisset, Beneuentano nihilominus Dynastæ, cuius longè amplissima erat ditio, fuisse subiectam. De Surrento autem quidẽ Capacium adi, & Leonem Ostiensem ab eo citatum in sua Neap. Hist. lib. 2. cap. 12. pag. 537. Et verò hic etiam anonymus Historicus, cùm narrat Gregorium Prancacium Neapolitanum, fuisse Surrentum relegatum, simul etiam significat, eo tempore Surrentũ fuisse sub ditione Neapolis: alioquin non licuisset Neapolitanæ Reipublicæ illuc relegare suum Ciuem, vbi nullam iurisdictionem haberet. Non me certè amor patriæ transuersum à vero agit, sed Historiæ veteres produnt, & res ipsa loquitur. Neapolim (vt de Beneuento nunc taceam) Ducemque eius, nulli, per ea maximè sæcula, paruisse, nisi aut Augustis aut Regibus. Cæterùm Surrentinam Ciuitatem fuisse olim Reipublicæ titulo cohonestatam compertũ est, quippe quæ ad Reipublicæ formã suos habuerit honorificos Magistratus, Ducem Dictatoris instar, Con-*

H sulem,

fulem, Decuriones, Aediles. Et de Duce quidem notius id est, quàm, vt probari debeat, cùm in promptu sint Guidones, Marini, Sergij, & his antiquior Ioannes, quos Capacius Hist. Neap. lib. 3. cap. 41. memorat. Consulem verò Probianum habet hæc ipsa Diui Antonini Vita; deq; eo plura dicam inferius. Decuriones autem, Aedilesque simul exhibet vetus inscriptio ad D. Antonini in lapide vermiculato. Etsi autem ea antiquissima est, neo pertinet ad hæc Ducum tempora, existimare tamen licet ijs magistratibus, sequentibus sæculis, haud fuisse priuatã. Erat porrò in Municipijs quibusque Decuriones plurimi: atque ex eorum Ordine Magistratus deligebantur Duumuiri, Quæstores, publicorum Operum curatores, & alijs nominibus alij.

XI. Beatæ memoriæ Viro, Abbati Bonifacio. *Quis iste fuerit Bonifacius, in obscuro est. Quo autem tempore Cœnobio Agrippinensi præfuerit, faciлè colligi poterit ex ijs, quæ dudum dixi de ætate Catelli, & Antonini; videlicet, vixisse hunc Bonifacium post annum Christi octingentesimum. Mirabitur fortè quisquiam, cur qui Beati titulo insignitus legitur, nõ reperiatur adscriptus Sanctorum Surrentinorum Fastis. Sed his profectò nõ mirabitur qui nouerit, eiusmodi titulum omnibus piè defunctis, promiscuè olim tributum, à Græcis maximè, apud quos recepta illa, & vsu trita formula* τοῦ μακαρίτου, *vt nunc vulgò,* felicis memoriæ, *dicimus. Ea itaque vsi locutione Græci auctores de vita functis quibusdam, nullo etiam pacto beatis. Lege Aristophanis Plutum, & Lucianum de luctu, vt Iulianum, Synesium, Plutarchũ, aliosque prætercam. Quocirca idem hic valet,* beatæ memoriæ, *ac* bonæ memoriæ *Viro: Vt proinde nihil ex eo loquendi modo sumi possit argumenti, eximiæ viri sanctitatis, & eum cœlitibus quos Ecclesia veneratur, cultu digni consortij.*

XII. Construxit in honorem S. Martini Oratorium. *Ecclesiam S. Agrippini Neapolitani Episcopi ac Patroni, vbi hoc Oratorium Sancti Martini nomine, hoc est,*

Sacel-

Sacellum, siue Cappellam à B. Antonino constructã ait, tradunt fuisse olim (iamdudum enim diruta funditus vtraq; est) in eodem propemodum loco, quo nunc est Ecclesia S. Antonini, Nam posteaquàm in ea sepultum est sacrum Antonini corpus, adeò ob crabra miracula celebre euasit Antonini nomen, vt non iam Agrippini, aut Martini, sed solius Antonini titulo Ecclesia illa postmodum fuerit appellata. Idipsum & alibi contigisse compertum est. Duo tantum hic profero exempla, eaq; spectatissima. Neapoli illam, quæ nunc S. Patriciæ Ecclesia dicitur, olim de SS. Nicandri, & Marciani nomine fuisse appellatam constat ex Leone Presbytero in Vita S. Patriciæ. Romæ autem in Regione prima habetur insignis Aedes S. Alexij Confessoris, quæ tamen anteaquã illuc S. Alexij venerabile corpus inferretur, S. Bonifacij martyris titulum, & appellationem habuisse certum est ex Anastasio in vita Xysti III.

XIII. Vinum virtute, & sapore mirabile. *Surrentini tractus vina lego olim apprimè laudata à Strabone,* [a] *Columella,* [b] *Statio,* [c] *Plinio,* [d] *Martiale,* [e] *Athenæo,* [f] *Galeno,* [g] *& possem illorum verba hoc loco referre; Sed ne sim Lectoribus tædio, vnius Statij, qui rus Surrenti habuit, eamque amœnissimam oram diu incoluit, testimonium explicatè producam. Statius igitur noster Surrentinum vinum sic celebrat, vt quamuis veriore gemini Cæsaris sententia non nisi* nobilis vappa, *sit, &* generosum acetum, *nihilominus Falerno propemodum adæquare videatur.*

Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Vritur, & prælis non inuidet vua Falernis.

Puto tãtopere laudatum, quia tenue, & debilibus inualidisque, Plinio teste, saluberrimum. Eam proinde tenuitatem leuari posse vini Falerni fæce, qua generosius, iucundiusque euadat, docet Horatius: [b]

Surrentina vafer, qui miscet fæce Falerna
Vina columbino limum bene colligit ouo.

Si, *inquit,* Surrentino vino Falernum fæcatum & turbi-

a lib. 5.
b de cul. hort.
c Sil. lib. 2.
d lib. 23. cap. 1.
e lib. 14.
f lib. 1. cap. 21.
g lib. 12. Therapeut.

b lib. 2. Saty. 4.

dius misceas, aut ei fæcem Falerni, vt eius saporem combibat, addideris, sine colo vinario defæcare vinum poteris ouo columbino: nam fæcem deuoluet vitellus. Hodie tamen, *ait Turnebus* [a] qui limpidas, defæcatasque reddunt potiones, albumine potius, quàm vitello solent vti.

[a] lib. I. Aduers. cap. 24.

XIV. Vinum omni condito melius. *Condijsse veteres plurimis modis vina, ijsq; adiunxisse adscititios sapores, coloresque, atq; odores varios, tradunt Plinius* [b] *Dioscorides,* [c] *& vt quidam interpretantur, etiam Martialis* [d] *sub vocabulo* foliata:

Hac licet in gemma quæ seruat nomina Cosmi
 Luxuriosa bibas, si foliata sitis.

Est enim foliatum, potionis genus, nardi, aliarumque odoratarum stirpium folijs condiri solitum, quòd in delicijs habebatur, Deque eodem vini genere scomma illud argutum in Romanos à Luciano iactum intelligo, cùm ait, [e] inualescente luxuria eos solitos vnguenta bibere. *Id vini factitij genus certum est à sponsa sponso Christo fuisse mysticè apparatum, cum inquit,* [f] Dabo tibi poculum ex vino condito, *hoc est, vinum aromatiten pretio, & sapore eximium. Magna itaque Antoniniani vini laus est præcellere conditis & odoratis. Sed ea profectò laus hyperbolica existimanda est, &, nisi id à Conditore æstimetur, ex vano.*

[b] lib. 14. cap. 13.
[c] libr. 5. cap. 44.
[d] lib. 14. Disticho 110.
[e] Dial. cōtra Rom.
[f] Cāt. 8. 3.

XV. In Domino expirauit XVI. Kal. Mart. Cōsule Probiano. *De die quidē nonnihil euariant vetera Pulsanese, & Plescanum Martyrologia, quæ B. Antoninum habent die præcedenti, hoc est, Idibus Febr. Sed re conueniunt: nam illa obitum, Romanū verò Martyrologium, & Eligianum Kalendarium depositionem commemorant. Crebrò eiusmodi variatio in Martyrologijs cernitur. Hac de die.*

De Consule autem Probiano quid dicemus? Optarim equidem Romanum extitisse Consulem. Sic enim annum obitus Beati Antonini multò certius scire liceret. Sed reuerà Romanus esse non potest. Nam desierant Consules

vtriusq;

vtriusq; Romæ iam ab anno Christi 564. hoc est, vt signatur in Fastis, P.C. Basilij 23. Probiani verò Consules fuere duo: alter cum Anicio Iuliano anno Christi 322. Alter cũ Leone Augusto quartum, anno 471. Itaq; ad Antonini nostri tempora, etiam si ex imaginario illo Antonij Ebulensis ratiocinio digerantur, neuter Probianus accommodari potest. Reliquum est igitur, vt Probianum hunc, Municipalem Consulem fuisse dicamus. Is Magistratus in Vrbe Roma, annalis; in Municipijs verò quinquennalis erat, idque adeò olim notũ, vt quinquennalis *simpliciter dictus, Duumuir, aut Consul Municipij intelligeretur. Aelius Spartianus in Vita Adriani:* Apud Neapolim Demarchus, in patria sua, *(Italia)* Quinquennalis, & item Adriæ Quinquennalis, quasi in alia patria, & Athenis Archon fuit. *Inde factum, vt Consulatus Municipales Olympiade, aut lustro notarentur. Quod quidẽ obseruat, & ex duabus antiquis inscriptionibus probat Ios. Scaliger Lect. Auson. lib. 2. cap. 23. Ex his colligo, Surrentinum hunc Consulem Probianum, Quinquennalem fuisse, aut etiam perpetuum. Nam cùm Consulatus eiusmodi incidebant in Duces, (cuiusmodi fortasse hic Probianus) ij perpetui erant. Quod profectò in Neapolis Ducibus, videre est. Ij enim ad mortem vsque Ducatum, & Consulatum gerebant. Inde Sergius* Dux & Consul: *Bonus* Dux, & Consul, *Marentius, ad quẽ Gregorius Magnus aliquando scripsit;* Dux idemque Consul, *perpetuo titulo legũtur in Inscriptionibus, quæ extant, & nummis. Plura non addo.*

XVI. Ecce autem ipsius parentes. *Parentes hoc loco non significare genitores, sed propinquos, consanguineosque, vel ex eo patet, quòd paulò inferius, B. Antoninus horum parentum pater appellatur:* Qui viuum eum ciuem & patrem fouerunt. *Iamtum ergo latina lingua in hanc Italicã, qua nunc vulgò vtimur, sensim emigrabat. Quocirca mirum non est, tunc vsos hac voce,* parentes, *qua Italica vulgari propinquos significamus. Eadẽ notione accepta est à Falcone Beneuentano in suo Chronico,*

energumenos ad B. Antonini sepulchrum adducere; & ab eo, qui talem potestatem à Deo accepit, precibus exposcere, & impetrare solutionem. Hanc ego tanti Diui virtutem, nihil opus est, vt verbis illustrem, aut humano calculo roborem, cùm se satis, atque abundè tueatur antiquitatis suffragio, ac cœlestibus benefactis. Itaque quam octo iam sæcula vendicant, & continuata succedentium temporum gesta, prodigiaque, in Fastis etiam Romanis memorata, confirmant, id iure omni, ac meritò posteritas, vti spero, deuoto, & grato animo prosequetur.

XXI. Quid ergo? Sanctusne Dei Confessor beneficium sanitatis vendidit? *Suspicionem auaritiæ, & venditæ quodammodo sanitatis prolixè quidem, & cum nonnullo lectorum tædio à B. Antonino propulsare conatur hic Scriptor Anonymus. Verum enimuerò, vt Hilarij verba ad hunc Diuũ accõmodem* Cadere vitium in gesta eius non poterat. *Quippe nobilissimã puellã ea, quæ detulerat pretiosa indumẽta gẽmasq; nõ vi vlla, sed sua sponte B. Antonino obtulisse palàm est: & ad gloriã refertur Diuini Numinis Templorum nitor, atque aurea, ac gemmata supellex. Sanè verò simile quid (apud Aimoinũ de Gest. Franc. lib. 1. cap. 22.) contigisse legitur Clodoueo Regi,* qui equum, quem inter cætera donaria miserat S. Martino cum redimere centum datis solidis (*hoc est, centum nummis aureis*) decreuisset, nec ille vllo modo eum de loco mouere posset, alios centum dari præcipiens, taliter iocosè dixit: S. Martinus bonus in auxilio, sed carus noscitur esse in negotio. *Porrò conducibile nobis est, quod Deus aut Sancti eius nostra recipiant.*

XXII. Qui paulò antè gloriosi Ducis sanauit prolem. *Beneuentanorum, Neapolitanorum, & aliorum per ea tempora, Ducum is titulus solemnis erat, immo etiam Gloriosissimi audiebant. Extat huius ipsius Sicardi Principis Diploma, ab Eremperto relatum,* [a] Nos Dominus Vir Gloriosissimus Sicardus, Langobardorũ gen-

[a] Hist. Lãgob. ad fin.

tis

tis Princeps, &c. *Quocirca Marentio Neapolis Duci, & Magistro militũ scribens B. Gregorius Papa,* [a] *quotiescunq; eum compellat.* Gloriam vestram, *ait. Ipsi verò Neapolitani Duces, modo se* Gloriosos, *modò autem* Eminentissimos *appellasse certum est:* Nos Sergius in Dei nomine Eminentissimus Consul, & Dux, atque Dei gratia, Magister militum, &c. *apud doctũ virũ Capacium,* [b] *Alia autem Diplomata Amalphis Ducum extant apud eundem.* Temporibus Domini Ioannis Gloriosi Ducis, & Imperialis Patritij, Antipati, & Domini Sergij Gloriosi Ducis filij eius anno septimo, &c. Item temporibus Domini Mansonis Gloriosi Ducis, & Imperialis Patritij. *Sed de his copiosius, & disertius Iurisperitus Purpura aget, in sua quam expectamus Amalphitana Historia.*

[a] lib. 7. ep. 70.

[b] Histor. Neap. lib. 1. cap. 13.

XXIII. Ad columnam manus & pedes miserum arctius ligarunt. *Refert, hoc loco obseruare, atque cognoscere antiquum morem, idest, à multis retrò seculis vsitatũ, ante sepulchrum B. Antonini alligandi energumenos ad columnam Aræ proximam, eosque clausis foribus, ibi relinquendi, quousque suam Diuus cœlestem virtutem, si ei libitum esset, in ijs à Dæmone liberandis ostenderet. Idem successu temporum factitatum, imagines in pariete hypogæi antiquitus depictæ significant. Idem quoque alibi ad Sanctorum sepulchra, lipsanaque vsitatum Historiæ produnt. Thomas Fazellus Dec. 1. Hist. Siculæ lib. 10. narrat, ad Aedẽ Diui Philippi Agyrani, Siculorũ Apostoli, complures arreptitias, quæ illic vinculis strictissimè impediebantur, se vidente, anno Christi* 1541. *mirabiliter liberatas. Romæ etiam ad columnam illam è Salomonico Templo ad Vaticanum aduectam, Energumeni, successu salutifero, alligantur. Mitto alia aggregare exempla recentiora: cũ omnibus par sit antiquum hoc, quod Anonymus Surrẽti factũ, literis cõmendauit.*

XXIV. Et si designatum signo Crucis per vestigium pollicis euidenter impresso reperit. *Id factum non caret similibus, ijsq; antiquis exemplis. Proferam illustriora,*

si illud prius statuam, quod B. Gregorius fusè docet, [a] *multa, & varia esse instrumenta Prophetarum. Nam cùm, vt idem inquit,* Prophetæ ministerium sit occulta reuelare, & futura prædicare, *id varijs modis atque instrumentis ij facere solent. Itaque, vt ad rem de qua agimus accedamus, tãtundem Prophetis est, siue per vnguenti vas, sicut hic olim factitatum à B. Antonino legitur, siue per sacros libros, siue per sacras imagines, siue per alia, atq; alia instrumentorũ genera, futuros sm̃ Dei voluntatem, vel permissionem euentus præmonstrare. Porrò hoc ipsum obsignatæ vnguentariæ pyxidis factum referunt Antonius Ebulensis, Paulus Regius, & Dauid Romaus in vita S. Antonini, quam vario tempore, ac loco singuli scripserunt. De sacrorum verò librorum inspectione, deq; per eos Diuinam volũtatem inuestigandi ratione, multa leguntur exempla, eaque adducuntur à Lorino in Acta cap. 1. vers. 26. Ioanne Dauid in Veridico Christiano & Heriberto Ros. Vveydo Not. ad epist. 12. S. Paulini. Hi docent à compluribus fuisse olim vsurpatum hunc Diuini numinis consulendi modum. Ita ad Martini sepulchrum, vt S. Gregorius Turonensis refert,* [b] *Meroueus Rex Francorum curauit tres Codices poni, Psalterij, Regum, & Euangeliorum. Ex Psalterio versus exijt:* Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala: *Ex libris Regum:* Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, &c. *Ex Euangelijs:* Scitis, qui post biduum Pascha fiet: & filius hominis tradetur, &c. *Non multo post Merouens captus est, & vt maiora tormenta effugeret, Gaileno familiari suo se occidendum præbuit. Similiter ipse Gregorius Turonensis, cùm videret Platonem Archidiaconum, & Galliemũ per vim abripi à Leudasto, Psalteriũ aperuit, legitque:* Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. *Et Laudastis nauis submersa est, altera, quæ vinctos illos vehebat, superstite. Heraclius item triduo exercitum lustrat; apertisque postea inuiolatis Dei Euangelijs inuenit sibi mandari, vt in Albania hiemet.*

[a] lib. 4. in 1. Reg. 4.

[b] lib. 5. c. 14. Histor. Franc.

met. Id narrat Cedrenus ad ann. 13. Heraclij, & ex eo Baronius Tom. 8. ad an. Christi 622. Horum exemplorũ antiquissimum, & clarissimum est illud, quod Clodoueo primo Galliarum Regi Christiano accidit. Is quippe cum expeditionem contra Arianos pararet, nuntios misit ad B. Martini Basilicã, vt inde aliquod victoriæ auspicium acciperet. Accepitque hos Psalterij tunc decantatos versiculos: Præcinxisti me Domine virtute ad bellũ: supplantasti inimicos meos subtus me: & inimicorum meorũ dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. *Mox Clodoueus exercitum mouit in Gothos Arianos, & illustrem, occiso eorum Rege Alarico, victoriam reportauit à Gregorio Turon. narratam.* [a] *Debere autem præmitti ad Deum orationem, docent aliquot ex his exemplis ex Greg. Turon. adductis; & Anonymus scriptor Vitæ S. Euortij Aurelianensis Episcopi, qui electionem S. Aniani Episcopi per sacros etiam libros indagatam, & demonstratã fuisse tradit; præmisso ieiunio, quod quidem solet de more oratio comitari. Legatur de hac re Lintrẽsis, primarius & doctissimus in Duacena Vniuersitate Professor, in cap. 1. Act. ad finem, vbi docet non nisi in re necessaria, & ambigua, quam humana expedire prudentia nequeat, huiusmodi consultoriam sortem esse adhibendam: & tunc cum magna Diuinæ maiestatis reuerentia, & præmissa oratione, ac concepta bona spe, fore, vt Deus eam dirigat ad declarationem voluntatis suæ. Eiusmodi etiam fortassis è sacris libris auspicia, aut certè aliquo alio externo indicio, captabant olim consilia, & responsa fideles in Æde S. Felicis Nolani martyris, illaque erant toto Orbi nota, & vulgata. Vide eos, quos citat Baron. Notatione ad 14. Ianuary.*

Denique per sacram Crucis imaginem S. Eutychio Patriarchæ Constantinopolitano magna consolatio, & animi vigor diuinitus est præstitus, vt Eustathius presbyter in eius Vita refert: nam cùm è Patriarchio pulsus, ablegatus esset in Insulam Princepon, visa Cruce in pariete picta cũ hoc Elogio: Christus vobiscum est, state,

[a] lib. 2. c. 37.

DE S. ANTONINO.

Hymnus.

AD MATVTINVM. olim dictus.

O Antonine cœlites
Inter coruſcos lucifer
Coruſce: tetros profuga
Tuo nitore Dæmones.
Hi nocte nos illecebris
Irretiunt carnalibus:
Tu luce nos cœleſtium
Mox Angelorum protege.
Si noſtra turbant cantica
Quæ corde puro pſallere
Conamur: adſint cœlica
Quæ te verentur agmina.
Sic vere pſalmos conſona,
Promamus inter Angelos,
Vt noſtra mens non diſſona
Sit ante cœli Principem.
Immane forti brachio
Agmen propelle Dæmonum:
A corde noſtro criminum
Exterge ſordes omnium.
Sit Trinitati gloria,
Par Trinitati gratia.
Sit Antonino Laurea
Eius clienti fulgida. Amen.

Hymnus, ad Laudes olim dictus.

Ex Eod. Cod. M.S.

SI, tibi, Sanctus Pater Antoninus
Obtulit florem iuuenilis æui,
Christe, quos puro modulamur ore
Offerat hymnos.
Huius insignem colimus triumphum,
Quo suburbano tumulata muro
Membra dimittens, super astra victor
Scandit ouando.
Gratus hic mundo fuit à tenellis
Vnguibus, matris fuerat sub aluo,
Gratior cœlo, magis est in vrna
Gratus vtrique.
Huc quis immani Satanæ furore
Venit inuasus, merito atque eius
Liber abscessit, Satan horret huius
Ossa sub ara.
Sæuit hic vultu Belial trifauci
Obstrepit rictu, fremit ore, ocellis
Flammat ignitis, vomit acre virus
Pulsus ad ima.
Veste iam pulla monachum professus
Mira gessisti Pater, astra calcans
Engeris multò meliora Diuum
Tectus amictu.
Trinitas per te sacrosancta nobis
Criminum donet veniam, salutis
Gratiam, sedes superum, beatæ
Munera vitæ. Amen.

videtur innuere Narrationem istam ore fuisse ab Auctore prolatam in B. Antonini fortasse die festo. Quin & paulò inferius se audita loqui *profitetur;* Loqui, *inquit, ergo ad Orationis formam hanc lucubrationem declamitauit: vt proinde mirum non sit sæpè digredi illum de Historia ad mores, hortarique ciues Surrentinos, vt Patronorum cœlestium cultum indies exaugeant. Verùm cùm pagina vlt. verba illa sint:* Credo etiam te, Pater Antonine, Scriptoris tui non paruam actionem, sed officiosam deuotionem respicere: & sicut per te Mediatorem facta sunt, quæ scripsi, &c. *liquidò patet hanc Narrationem, non dictam, sed scriptam fuisse; refertam tamen ethicis digressiunculis.*

Not. II. Ac, vt primùm de eius patria, aut parentela tractemus, sicut ignotam habemus, ita non necessarium existimamus, &c. *Itanè verò? at constans nihilominus & haud contemnenda traditio est, B. Antoninum fuisse Campaniæ, vrbis Picentinorum Ciuem è* Cacciuttorum, *siuè, vt latinè effertur, è* Catellorum *antiqua stirpe, quæ etiamnum extare dicitur: ostenduntque Campanienses veterem Antonini domum qua natum, educatumque fama est. Porrò Vita huius Diui, per Ecclesiastici officij lectiones distributa, quam huic lucubrationi adnectimus, palam aperit B. Antoninum* è nobili genere *processisse. Itaque Campaniensibus vtpotè B. Antonini ciuibus, danda iure est sui municipis cognitio exactior, quàm in extero hoc scriptore extiterit. Et nos illis præ hoc credere debere, aurea illa Taciti sententia adeò permouet, vt tantùm non cogere videatur.* Vt conquirere, *inquit,* fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis crediderim, ita vulgatis, traditisque demere fidem non ausim. *Hæc ille. Interea è* Cacciuttorum *mihi vocabulo subolet coniectura, vt puto, probabilis, Catellum illum Stabiensem Episcopũ, ad quem B. Antoninus, vti infrà dicetur, confugisse legitur, suum fuisse consanguineum, aut certè gentilem. Postea verò, Itala ista qua nunc vtimur, lingua, è latina*

Hist. lib. 2.

illa

illa corrupta, sensim enascente, mutatum Catellorum *in* Cacciuttorum, *incolumi tamen significatu, esse vocabulum. Id quippe euenisse plerisque alijs nobilibus cognomentis facile est in priscis Historijs obseruare. Sic namque ij, qui olim Rubei, Aquillij, Erycij, Asellij, Palatini, Claudij, nunc* Rossi, Dell'Aquila, Ricci, De gli Asinelli, Paladini, *&, quæ Bergomi clara est prosapia,* de' Zoppi, *vulgò dicuntur. Lege Mutium de Sanctis Bergomatibus Domno, & Domnione, & antiquarum Stirpium Syntagmata.*

Not. III. Quo tempore Langobardorum ferina immanitas. *Vetus autem B. Antonini Lectionarium sic habet:* Tempore, quo immanis Langobardorum feritas, & ferina Vuandalorum immanitas omnia ferè Campaniæ oppida igne succenderet. *Primo igitur adnotandũ se hoc loco offert, Langobardos dictos etiam fuisse Vuandalos, siuè Vuinilos. Vuinilos appellat Sigebertus De Scriptor. Eccles. cap. 80. & Ordericus Hist. Eccles. lib. 4. ad annos 1070. qui & Guinilos vocatos esse tradit à Guitmundo Monacho in Orat. ad Regem Angliæ.* Guinili, qui de Scandinauia Insula forte eiecti sunt, regnante Alboino Rege filio Audonis, partem Italiæ, quæ nunc Lãgobardia dicitur, inuaserunt. *His verò multò antiquior Paulus Diaconus de Gest. Langob. lib. 1. cap. 12.* Vuinili, *inquit*, ijdem sunt, ac Langobardi. *Vuandali etiam dicti sunt (quamquam rarius, & fortasse per errorem, qui ex vicinitate vocum irrepsit calamis atque linguis) vti apud Ortelium Thes. Geograph in dictione* Vuinili *obseruare est. Alioquin Vuandali à Langobardis discreti, iampridem abacti fuerant tota Campania. Nam vltima eorum irruptio fuit, abducto secum Diuo Paulino Nolæ Episcopo, anno sal. 427. Lege Baron. Not. in Martyrol. Rom. ad 22 Iunij. Scriptor autem iste anonymus, de tempore, quod paulò ante Sicardi Beneuentanorum Principis ætatem excesserat, loquitur, hoc est, de anno octingentesimo, & quod excurrit, vti mox dicam. Hactenus itaq; de Langobardis, qui dicti sunt* Vuinili, *siue* Vuandali.

Nunc

Nunc verò, quænam Campaniæ deuastatio bis, quæ proposuimus adnotanda, verbis significetur, diligenter est inquirendum. Ex eo quippe pendet cognitio, quonam Christi anno B. Antoninus ad agrum Stabiensem secesserit, atque adeò, quonam sæculo vixerit. Video siquidem recẽtiores, qui de Vita Diui huius scripserũt, magno consensu, sed nulla prorsus Chronologiæ, quæ lux Historiæ est, consideratione, in quandam planè absurdam, & secũ pugnantem conuenisse sententiã, atq; asseuerasse, B. Antoninum tunc emigrasse Stabias, cùm Zoto Dux Langobardorum Cassinense Monasterium diripuit, atque vastauit. Sed hæc certè opinio, quã primus excogitauit, atq; edidit Antonius quidam Ebulensis, cognomento à Porta, libello de Vita S. Antonini à se cõposita anno 1535. Neapoli impresso, atque ab eo vno cæteri recentiores, vulgaresque Βιογραφοὶ *mutuati sunt, immanem continet prochronismum. Examinemus parumper. Primùm hic idẽ scriptor Anonymus, quo non habemus antiquiorem, in Tract. de Mirac. & Inuent. corporis S. Antonini, apertè tradit, non multò ante Sicardum Beneuenti Principem vixisse Antoninum. Sic enim incipit illum Tractatum,* Post decessum Beati Antonini non multo tempore euoluto, Princeps Beneuentanus, Sicardus, cæteris finibus suæ ditioni subiugatis, terram etiam Syrrentinorum eadem intentione inuasit. *At verò Sicardus iste penè ducentis quinquaginta annis distat à Zotone. Nam Zoto factus est Dux Beneuenti an. 571. vti ex Leone Ostiensi alibi à nobis probatum est; euertit autem Cassinense Cœnobium an. 589. Pelagij II an. vlt. At Sicardus successit Siconi patri suo anno, vt in Propylæis ad quatuor Chronica digessimus, 830. Hac verò obsedisse Surrentum circa annũ 836. Habebimus præterijsse annos 247. ab euerso per Zotonem Monasterio Cassinensi, ad obsessum à Sicardo Surrentum: quod quidem nulla ratione dici potest paruum, aut* non multum tempus: *ac proinde falsissimum est B. Antoninum vixisse, vel Stabias aufugisse Zotone Beneuẽti Duce, qui supra ducentos quadragin-*

ta annos Sicardum praecessit. Mitto nunc, quod alibi fortasse fusius discutiam, in hisce antiquis Monumentis nequaquam haberi Antoninum, Casinensis Cœnobij fuisse Monachum, aut ex eo Stabias secessisse. Quinimmo Hieronymus Lauretus, qui nuper valde diligenter Chronicon Casinense Leonis Ostiensis eruditis scholijs illustrauit, nihil prorsus è Casinensi Bibliotheca, antiquis alioqui monumentis, atque Codicibus refertissima, de Antonino proferre potuit. Quocirca ea pauca tantũ recitat, quæ in Romano Martyrologio nuper scripta legisset. Magnũ item de eo silentiũ obseruare est in Paulo Diac. Desiderio Abb. Petro Diacono, Trithemio, alijsque omnibus, qui viros illustres, atq; Diuos Casinensis Cœnobij recensuere. In Romano autem Martyrologio ea res non ante Baronium legebatur: qui nihilominus cùm in Notationibus non aliũ citet auctorem, nisi Surrentina Monumenta à Paulo Regio relata, & Italicè edita, prudenter quidem Τὸ, vt ferunt, *apposuit: significans ea cautionis formula, se, de anno 625. quo P. Regius scribit obijsse B. Antoninũ. fidem reponere penes auctorem. Idipsum obseruare est in Antonio illo à Porta, qui tametsi primus absurdæ huius supputationis, & opinionis auctor extitisse videatur, non est tamen ausus eam pro certo statuere, sed Narrationem à se excogitatam credulitati legentium commisisse apparet, cum inquit*, In quo (*Monasterio Casinensi*) cùm Sanctus Dei Antoninus vitam cœlibem, semel Deo oblatam, vt pium est credere, degeret cum alijs Deo famulantibus, fuga seruatus, se ad Castellum contulit. *Dubitanter igitur hic etiam Auctor videtur asserere B. Antoninum, tunc Casinensis Cœnobij fuisse alumnum, si ea verba*, vt pium est credere, hoc est, vt pia imaginatione mihi videor comminisci, *ad Casinense Cœnobiũ referantur: non enim referri possunt ad vitam cœlibem; eam quippe adeò certum est B. Antoninum Monachum egisse, vt putidum sanè fuisset ijs verbis voluisse firmare. Obseruaui præterea, iam dictũ Antonium à Porta, dum narrat Surrenti obsidionem, eam,*

non

non Sicardo, sed Romualdo Duce contigisse, asserere: quod, opinor, fecit, vt tanti temporis, quantum à Zotone ad Sicardum est, ingentem hiatum, ea ratione minueret. Sed frustra is quidem Sicardum in Romualdum mutat: tum quod id contra omnium antiquorum Codicum fidem profectò est, qui magno consensu, & constantia Sicardum, non autem Romualdum habent, tum etiam, quod cum duo extiterint Romualdi Beneuenti Duces, alter Grimoaldi, alter Gisulphi filius, horum certè neuter Surrentum vnquam obsedisse, legitur. Id solummodò tradunt Paulus Diaconus lib. 6. cap. 40. & Anastasius, ac Platina in Vita Gregorij II. Romualdum hunc iuniorem Gisulphi filium, Cumas per vim occupasse; de cætera verò Campania ab eo vexata aut de Surrenti Vrbe obsessa nihil vspiam repperi. Accedit hisce incommodis, neque in hunc Romualdum, qui vita functus est anno 734. posse aliqua ratione conuenire verba illa, Post decessum Beati Antonini non multo tempore euoluto. *Nam si, vt recentiores isti supputant, Beatus Antoninus obijt anno Christi 625. certè plusquam centum annos præterijsse necesse est ab eius obitu, vt ad Romualdum, Surrentum vrbem obsidentem, perueniatur. Quomodo igitur dici verè potest* non multò post, *si post totos centum annos id contigit? Denique manifestè deprehenditur quantum à vero dissideat: imaginosus ille Narrator, ex eo, quod subijcit, Beatum Antoninum, quo tempore Zoto Cassinense Monasterium diripuit, hoc est, anno, circiter, 589. Stabias secessisse, atque adhæsisse Beato Catello, Stabiarum Episcopo, eundemque postea à Sabiniano Papa in carcerem trusum, suis apud Deum precibus iuuisse adeò vt liber rediret Stabias. At scire, & meminisse debebat Ebulensis ille, Sabiniani, & Bonifacij tempore non Catellum, sed Laurentium fuisse Stabiarum Episcopum. Id quippe tradit inscriptus lapis, qui Aequis (Capacio teste) seruatur, his verbis,*

In hoc tumulo requiescit
V.B. Laurentius Episcopus
Sanctæ Ecclesiæ Ciuitatis Sta-
biensis, qui vixit annis plus
minus XXXX. Sedit in Epi-
scopatu XII. Depositus die IIII.
Kal. Martiarum. Ind. XV. Impe-
rante Heraclio Aug. anno secũdo.

Heraclij annus secundus fuit Christi annus 612. Laurentius igitur inijt Episcopatum Stabiensem anno 600. extremo, vel 601. inchoante, & vixit vsque ad Bonifacij Quarti annum sextum. Sabiniani itaque, & Bonifacij Tertij integri Pontificatus peracti sunt viuente Laurẽtio, nõ aũt Catello Episcopo. Quocirca tota ea narratio de S. Catello Episcopo à Sabiniano Papa in carcerẽ detruso, & à Bonifacio III, Sabiniani successore absoluto, & Stabiã remisso, inter aniles fabulas reponẽda est.

At tibi, inquies, quid videtur? Dicam breuiter id, quod coniectura assequi potui in re obscura. Cùm iam satis constet non multò ante Sicardum Principem, in cœlum migrasse Antoninum, cogimur proinde illum statuere circa an. sal. octingentesimum: atque adeò dicere non dubitamus, Beatum virum secessisse Stabias, quo tempore Sico Beneuentanus Princeps Sicardi pater Cãpaniam longè latèque populatus, Neapolim etiam longa obsidione fatigauit, vt Herempertus in Historia fusiore & Leo Ostiensis lib 1. cap. 19. tradunt. Id, quia accidit Bono, Neapolis Consule, & Duce, vti ex Epitaphio lapidi inciso constat, Bonus autem iste annum tantummodo cum dimidio Ducatũ gessit, mortuusq; est V. Id. Ianuarij an. Christi 819. quod ex Indictione XII. quæ ibi legitur, facilè habetur, necesse proinde erit figere iam dictam cladem à Sicone illatam, & B. Antonini secessum Stabien-

sem

ſem ad annum Chriſti 818.*Idque bene congruit cum anno primo Siconis,quem Annales Francorũ, ab auctore illius temporis ſcripti,tradunt Principem Beneuenti factum eo anno, non autem an.* 817. *vt Leoni Oſt. lib.*1. *cap.*19.*placuit.Erat verò tũc iam ſenex B. Antoninus: Sic enim vetus pictura imaginis eius, apertè ſignificat: vt mirum proinde haud ſit, non vltra duodecim annos produxiſſe vitam; quam hoc modo probabiliter digero, quantum,ſtatuto iam Stabienſis ſeceſſus anno,per coniecturam aſſequi poſſum:*Melius qui conijciet,Vatem (*vt ille ait*) hunc perhibebo optimum.

Cic. de Diuinat.

Anno 818.*Beatus Antoninus,ex incerto quodam Cãpaniæ Monaſterio Benedictini inſtituti,& Caſſinenſi Abbati,vt puto, ſubiecto,profugit Stabias. Ex incerto, inquam, Monaſterio; quia nullus veterum Scriptorum, quodnã fuerit declarat.Illud nihilominus certum fermè eſt, fuiſſe Cãpaniæ Monaſteriũ. Nã cũ Anonymus iſte tradat,ideò Antoninũ fugiſſe,quia Cãpaniã Langobardi ferro, & incendijs latè vaſtabant, apertè conſequitur, illum non aliunde fugiſſe: ſimulque apparet non abijſſe à Cœnobio Caſſinenſi. Mons namque Caſſinus,in quo illud* Diſciplinæ regularis principale Gymnaſium *ædificatum eſt,non in Campania, ſed in nouo Latio, & ſignatè in Volſco agro ponitur à Liuio? Strabone,& Plinio.Lege,ſi lubet, Cluuerium lib.* 3.*antiquæ Italiæ pag.* 1040. 1041.*vel,ſi antiquos mauis,Varronem lib.6.de lingua Latina,qui Samnitium oppidum eſſe docet.Porrò Campanum illud Monaſterium, quodcunque fuerit, è quo migrauit Antoninus,nõ niſi Benedictini Inſtituti fuiſſe exiſtimandum eſt. Quanquam enim, in Campania nonnulla olim extitiſſe Baſiliani Ordinis Cœnobia, negari non poteſt,quia tamen à Benedicto ad Antoninum,vti ex dictis ſuperius conſtat,multa annorum ſecula præterierunt,putandum vtique eſt,in tanto temporis ſpatio omnia propemodum Cœnobia Campaniæ,vtpote Caſſino vicina,Beatiſſimi Benedicti, magni in Occidẽte Monachorum Patriarchæ inſtitutũ fuiſſe amplexata. Quinimmo*

probabiliter existimari posse assero, ex ijs, quæ tradunt Leo Ostiensis, & Petrus Diaconus de innumeris circumquaque Monasterijs, è Cassinensi veluti plantis ex magna arbore propagatis, Monasterium illud, è quo Antoninus abijt, fuisse Cassinensium Magno Abbati subiectum. Et hac equidem ratione Beatum Antoninũ inter Diuos Cassinenses enumerari posse non dubito.

Anno 827. qui fuit vltimus Eugenij II. laudatissimi Rom. Pontificis, B. Catellus apud illum per calumniam accusatus, Romam accersitus est, & in domesticum carcerem trusus.

Eodem anno 827. mortuo iam Eugenio secũdo mense Augusti, à Valentino Papa solutus carcere B. Catellus redijt Stabias: & Antoninus Bonifacio hæsit.

Fac postea an. 828 successisse Antoninũ Bonifacio Abbati. Nã Acta Antonini dicũt, nõ multò post quã illi Antoninus adhæsit, obijsse Bonifaciũ Agrippinensẽ Abbatẽ.

Fac item Abbatiam deinceps rexisse Antoninum annis plus, minus, duobus. Tot enim satis fuisse apparet condendæ vineæ, & sarciendæ domui, ac Monasterio, vt eum fecisse in vitæ gestis legitur.

Anno itaque 830. verisimile est obijsse B. Antoninum, hoc est duodecimo postquam è Cãpaniæ Benedictino Monasterio profugit Stabias.

Sicardus verò post sex annos ab obitu B. Antonini, videtur obsedisse Surrentũ, & Diuinam virtutem sensisse in eo Diuo ibi sepulto. Fuit autem is annus à Christo nato 836. & penultimus Vitæ Sicardi Principis. Hæc nunc summatim indicasse satis esto, suis postea locis fusius explicanda, & confirmanda.

Not. IV. Sanctus iste noster Patronus Antoninus. *Ex his verbis colligitur, Ciuitatem Surrentum olim sibi Patronum adsciuisse B. Antoninum. Mos iste, decorus simul & vtilis, multis iampridem Christianis Vrbibus ac Municipijs vsitatus legitur, id videlicet expertis, quod B. Ambrosius lib. 5. in Lucam, disertè pronuntiauit*, Sanctos Diuini Numinis seruos, & interue-

nien-

niendi apud Deum habere meritum,& ius etiam impetrandi. Adhibendos igitur esse eiusmodi precatores, quorum contemplatione, quod nobis Dominus negare posset, ignoscat. *Sed de hac re, latius σὺν θεῷ differam in Ecclesiæ Neapolitanæ Fastis, cum de Patronis eius Vrbis incidet Tractatio.*

Not. V. Terrã Syrrentinorũ. *Ita Ciuitatẽ hanc appellatam lego in vet. Cod. Et verò multa sunt, quæ Latini per u, Græci autem per y efferunt. Inde ea varietas, Sibulla, & Sibylla, Sulla, & Sylla, Murena, & Myræna, Murrha, & Myrrha, Indutus, & Inclytus, Cumæ ciuitas, & Cyme; atq; id genus plurima passim occurrunt. Porrò à Syrenibus huic antiquæ Ciuitati prouenisse vocabulum, testatur Papinius noster, Carm. de Surrentino Pollij, his versiculis,*

Est inter notos Syrenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ Templis onerata Mineruæ.

Docet præterea Plinius lib. 3. cap. 5. Surrentum cum promontorio Mineruæ, Syrenum quondam extitisse sedem: Quocirca totam illam maritimã oram, quæ à Sarnofluuio ad Mineruæ promontorium, Massamque Lubrensem extenditur, Syræum vocat Strabo. Vt proinde non sit mirandum apud vetus Lectionarium de vita B. Antonini, territorium Stabiense appellari, Parthenopes agrum.

Not. VI. Illum ergo verticem,&c. *Episcopum Catellum, relicta Stabiarum vrbe, & posthabita Pastorali cura, Angelici montis verticẽ adijsse, ibique contemplationibus Diuinis diutius vacasse, mirabitur fortè quispiam. Sed cessabit, aut certè cessare debebit admiratio, inspectis complurium Sanctorum Episcoporum, qui idẽ fecisse leguntur exemplis. Ne autem lectorẽ nimio numero obruam, pauca hæc & selectiora propono. In primis B. Petrus Damianus Episcopus Ostiensis, & Eugubinus, adeò solitudinis amore exarsit, vt Monasterium quo sub regula B. Benedicti diu ante Episcopatũ vixerat, repetiuerit: ibique iugiter psallendo, orando, legen-*

do,

do, & senile corpusculum vigiliis, ieiuniisque macerando institerit. Refertur id in Gestorum eius Collectione à Caietano Abbate accuratissimè elucubrata cap. 17. Eodem propemodum tempore vixit, & floruit Sanctissimus Hugo Lincolniensis Episcopus, quem singulis annis, æstiuis vacationibus secedere solitum ad suum Vuitamiense Monasteriũ, tradit Anonymus scriptor Vitæ eius cap. 13. Sed propius atque similius Catelli facto est B. Laurentii Episcopi Dublinensis exemplum. Hic enim Sanctus Præsul non solum solitariam vitam, sed specum etiã abditissimã & omnibus imperuiam persæpe petebat: ibique totas esuriales quadragenas velut alter Moses, Deo tantum & Angelis testibus, peragebat; illo interim, qui olera, & panem porrigeret, per scalam ascendente, cuius ima pars in aqua figebatur, superior ad speluncæ os pertingebat. Augensis in vita eius cap. 17. Nouerant sanè hi Sancti Episcopi se nihil detrimenti per eiusmodi secessum populo quem regebant, illaturos. Animarum quippe negotia multò melius expediri orando, & è cœlo consilium atque auxilium implorando, quàm solius humanæ mentis viribus agitata: & viuaciorem præterea redire animum, curarum secularium excusso subinde puluere, atq; orationis cote politum. Eæ præcipuæ fuerunt causæ sanctis Episcopis secedendi ad tẽpus è mundi fluctibus, & gregem variorum phantasmatum vnà cum Mosè minandi ad interiora deserti. Catellum autem cùm secessit, primò B. Antoninũ, vt acta hæc tradunt, deinde verò eo tempore, quo cum eodem Antonino in solitudine mansit, alium quempiam Episcopali curæ succedaneum, Stabiensi Diœcesi præfecisse putandum est.

Not. VII. B. Michaeli Archangelo laus quotidie offertur. *Hinc colligi potest antiquitas Scriptoris huius. Ait enim sua ætate Aediculam, quam hodie indigenæ vocant* S. Angeli ad Faitum, *diuinis laudibus quotidie personuisse: quem sanè cultum & quotidianum cantũ ante aliquot hominum ætates cessasse compertum est. De-*

siit

sÿt item iampridem frequens illa peregrinatio de vicinis & de longinquis partibus, *quam scriptor iste hic memorat. His adde, characterem Langobardicum, quo Codices de Vita Sancti Antonini scripti sunt, multis ab hinc sæculis obsedui ſſet, vt hinc etiam scriptoris conÿci possit quatuor circiter sæculorum antiquitas.*

VIII. Catellus comprehenditur, Sedis Apostolicæ Rectori statuitur. *Catelli nomen priscis etiam aliis impositũ lego. Gruterus enim pag CL. 4. refert inscriptionem marmori incisã, qua habetur L. Catellius L. L. Barbarus cum aliis Viarum Curator, & S. Gregorius lib. 6. epist. 20. ad Fortunatum Neapolis Episcopum Catelli cuiusdam meminit. Alibi quoque fortasse reperietur à diligenti vocum eiusmodi perquisitore. Quòd autem B. Catellus, quem Stabiensis Ecclesia, vt Sanctũ, & vrbis Patronum veneratur, Hæreseos criminis tam falsò accusatus Romam nihilominus ab Eugenio II. accersitus, & carcere etiam maceratus sit, non est magis mirandum, quàm quòd S. Equitius Abbas, apud S. Symmachũ Papã, & S. Bernardinus apud Martinũ V. vt narrat scriptor tæ eius, ob eandem Hæreseos, suspicionem accusati, & calumniis pæne oppressi fuerint. Pro excusando autem Sanctiss. Eugenio Pontifice valeat hic Gregorii Magni memoranda sententia, qua B. Symmachum Papam excusat his verbis:* Vniuscuiusque Præsulis mentem curarum densitas vastat. Cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula: tantoque ei in vna qualibet re surripitur, quantò latius multis occupatur.

Lib 1. Dial. cap. 4.

IX. Citò enim Papa dufuncto, in Sedem Apostolicam ille succedens, &c. *Tò citò refer ad tempus carcere conclusi Catelli, non autẽ ad Eugenii II. Pontificatum, qui trium annorũ, & aliquot mensiũ fuit. Sensus itaq; est, haud multo postquam carceri nuncupatus est Catellus Episcopus, Eugenium obiisse, & Valẽtinum successisse, qui paulò postquam creatus est Pontifex, B. Catellum carcere eduxerit, & honorificè, vt par erat, habuerit. Vita B. Antonini sic habet:* Catellus in carcerem retruditur:

ditur: & Diuino, vt dignum est credere, nutu (quod sequens rei euentus comprobauit) quidam ex Clericis Papæ custos sibi adhibetur. *Subditque huic clerico summi Pontificatum prædixisse Antoninum: eumque paulò post successisse Papæ, qui S. Antoninum, per calumniam apud se accusatum carceri concluserat. Hæ profectò circunstantiæ in neminem alium per hæc tempora quadrant, nisi in Valentinum, quem ex Rom. E. Archidiacono, ob eius virtutes eximias, Eugenio II. charissimo, summis omnium Ordinum votis in Sedem Pontificiam, quamuis renitentem, fuisse illatum, narrat Anastasius. In hanc igitur meam temporum, personarumque designationem, optimè conueniunt omnia. Valentinus Eugenij II. Diaconus, adeò domesticus erat Pontifici, vt de eo Anastasius ita scriptum reliquerit:* Eugenius positus in Sede Apostolica eum cunctis quæ dixi, virtutibus decoratum luculenter agnoscens, omni vitæ suæ tempore charissimorum vice retinuit, & velut pater proprio filio corde congaudebat alacri, suisque aspectibus illum assiduè consistere cupiebat. *In huius Diaconi cubiculis, conclusum fuisse Catellum Episcopum, iure mihi persuadent tum accusatæ personæ dignitas, & grauitas, tum etiam Valentini pietas & benignitas tãtopere ab Anastasio laudata. Non insuetum in Vrbe ethnicis Christianisque temporibus, viros spectatæ conditionis, non publico, sed priuato, ac domestico carceri indere. Sic apud Salustium, Catilinæ socii, quamuis alioqui sceleribus coopertis; quia tamen nobiles, & patritio, aut equestri genere erant, singuli singulis Senatoribus custodiendi tradũtur. Paulus item Apostolus, quia Ciuis erat Romanus, in libero, & priuato carcere detentus biennio est, vt Lucas tradit Act. 28. Adeò denique mos is frequens, receptusque, vt in legem quoque abierit. Adi, si lubet, L. Diuus Pius. ff. de Custod. reorum. Quòd verò B. Catellus Valentino custodi suo summum Pontificatum vaticinatus sit, id quidem probabile facit vtriusque viri spectata virtus, & cœlo grata probitas. Et sanè constat haud*

haud raros extitisse Petri successores sanctitate conspicuos, quorum eximiam adeò dignitatem, aut indicia diuinitus præmonstrauerint, aut vaticinia verè prædixerint. Lege Pontificum Acta.

X. Suæ Reipublicæ consultissimè prospiciẽtes. *Imaginẽ quandã Reipublicæ habebant eo tpe Vrbes Cãpaniæ aliquot, videlicet Amalphis, Salernũ, Surrentũ, Capua, Caieta, Neapolis: sed cum nonnullo discrimine. Quippe Neapolis, hoc ipso octauo, aut nono, de quo agimus Christi sæculo, florentior multò atque liberior alijs extitit, & vni Byzantino Cæsari in speciem subdita, Reipublicæ cui Dux præesset, formam vtcunque solidam retinebat. Cæteras verò non modò Orientis, aut Occidentis Augusto, iuxta diuisionẽ scilicet harũ Italiæ regionum, quã Nicephorus, & Carolus Magnus Imperatores inter se fecerant, sed alij etiam Dynastæ paruisse certum est. Nã ex antiquis Diplomatibus constat, Caietam Capuano Principi, Amalphim Salernitano; Salernum rursus, aut Beneuentano, aut Capuano, & Capuam denique ipsam, quamquam Campaniæ caput quondam audiuisset, Beneuentano nihilominus Dynastæ, cuius longè amplissima erat ditio, fuisse subiectam. De Surrento autem quidẽ Capacium adi, & Leonem Ostiensem ab eo citatum in sua Neap Hist. lib. 2. cap. 12. pag. 537. Et verò hic etiam anonymus Historicus, cùm narrat Gregorium Prancacium Neapolitanum, fuisse Surrentum relegatum, simul etiam significat, eo tempore Surrentũ fuisse sub ditione Neapolis: alioquin non licuisset Neapolitanæ Reipublicæ illuc relegare suum Ciuem, vbi nullam iurisdictionem haberet. Non me certè amor patriæ transuersum à vero agit, sed Historiæ veteres produnt, & res ipsa loquitur. Neapolim (vt de Beneuento nunc taceam) Ducemque eius, nulli, per ea maximè sæcula, paruisse, nisi aut Augustis aut Regibus. Cæterùm Surrentinam Ciuitatem fuisse olim Reipublicæ titulo cohonestatam compertũ est, quippe quæ ad Reipublicæ formã suos habuerit honorificos Magistratus, Ducem Dictatoris instar, Con-*

sulem, Decuriones, Aediles. Et de Duce quidem notius id est, quàm, vt probari debeat, cùm in promptu sint Guidones, Marini, Sergij, & his antiquior Ioannes, quos Capacius Hist. Neap. lib. 3. cap. 41. memorat. Consulem verò Probianum habet hæc ipsa Diui Antonini Vita, deq; eo plura dicam inferius. Decuriones autem, Aedilesque simul exhibet vetus inscriptio ad D. Antonini in lapide vermiculato. Etsi autem ea antiquissima est, nec pertinet ad hæc Ducum tempora, existimare tamen licet ijs magistratibus, sequentibus sæculis, haud fuisse priuatã. Erat porrò in Municipijs quibusque Decuriones plurimi; atque ex eorum Ordine Magistratus deligebantur Duumuiri, Quæstores, publicorum Operum curatores, & alijs nominibus alij.

XI. Beatæ memoriæ Viro, Abbati Bonifacio. *Quis iste fuerit Bonifacius, in obscuro est. Quò autem tempore* Cœnobio *Agrippinensi præfuerit, facilè colligi poterit ex ijs, quæ dudum dixi de ætate Catelli, & Antonini; videlicet, vixisse hunc Bonifacium post annum Christi octingentesimum. Mirabitur fortè quisquiam, cur qui Beati titulo insignitus legitur, nõ reperiatur adscriptus Sanctorum Surrentinorum Fastis. Sed his profectò nõ mirabitur qui nouerit, eiusmodi titulum omnibus piè defunctis, promiscuè olim tributum, à Græcis maximè, apud quos recepta illa, & vsu trita formula* Τῦ μακαρίτυ, *vt nunc vulgò,* felicis memoriæ, *dicimus. Ea itaque vsi locutione Græci auctores de vita functis quibusdam, nullo etiam pacto beatis. Lege Aristophanis Plutum, & Lucianum de luctu, vt Iulianum, Synesium, Plutarchũ, aliosque præteream. Quocirca idem hic valet,* beatæ memoriæ, *ac* bonæ memoriæ *Viro: Vt proinde nihil ex eo loquendi modo sumi possit argumenti, eximiæ viri sanctitatis, & cum cœlitibus quos Ecclesia veneratur, cultu digni consortij.*

XII. Construxit in honorem S. Martini Oratorium. *Ecclesiam S. Agrippini Neapolitani Episcopi ac Patroni, vbi hoc Oratorium Sancti Martini nomine, hoc est,*

Sacel-

Sacellum, siue Cappellam à B. Antonino constructã ait, tradunt fuisse olim (iamdudum enim diruta funditus vtraq; est) in eodem propemodum loco, quo nunc est Ecclesia S. Antonini. Nam posteaquàm in ea sepultum est sacrum Antonini corpus, adeò ob crebra miracula celebre euasit Antonini nomen, vt non iam Agrippini, aut Martini, sed solius Antonini titulo Ecclesia illa postmodum fuerit appellata. Idipsum & alibi contigisse compertum est. Duo tantum hic profero exempla, eaq; spectatissima: Neapoli illam, quæ nunc S. Patriciæ Ecclesia dicitur, olim de SS. Nicandri, & Marciani nomine fuisse appellatam constat ex Leone Presbytero in Vita S. Patriciæ. Romæ autem in Regione prima habetur insignis Aedes S. Alexij Confessoris, quæ tamen anteaquã illuc S. Alexij venerabile corpus inferretur, S. Bonifacij martyris titulum, & appellationem habuisse certum est ex Anastasio in vita Xysti III.

XIII. Vinum virtute, & sapore mirabile. *Surrentini tractus vina lego olim apprimè laudata à Strabone, [a] Columella, [b] Statio, [c] Plinio, [d] Martiale, [e] Athenæo, [f] Galeno, [g] & possem illorum verba hoc loco referre; Sed ne sim Lectoribus tædio, vnius Statij, qui rus Surrenti habuit, eamque amœnissimam oram diu incoluit, testimonium explicatè producam. Statius igitur noster Surrentinum vinum sic celebrat, vt quamuis veriore gemini Cæsaris sententia non nisi* nobilis vappa, *sit, &* generosum acetum, *nihilominus Falerno propemodum adæquare videatur.*

Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Vritur, & prælis non inuidet vua Falernis.

Puto tãtopere laudatum, quia tenue, & debilibus inualidisque, Plinio teste, saluberrimum. Eam proinde tenuitatem leuari posse vini Falerni fæce, qua generosius, iucundiusque euadat, docet Horatius: [b]

Surrentina vafer, qui miscet fæce Falerna
Vina columbino limum bene colligit ouo.

Si, *inquit*, Surrentino vino Falernum fæcatum & turbi-

a lib. 5.
b de cul. hort.
c Sil. lib. 2.
d lib. 13. cap. 1.
e lib. 14.
f lib. 1. cap. 21.
g lib. 12. Therapeut.

b lib. 2. Saty. 4.

dius misceas, aut ei fæcem Falerni, vt eius saporem combibat, addideris, sine colo vinario defæcare vinum poteris ouo columbino: nam fæcem deuoluet vitellus. Hodie tamen, *ait Turnebus* [a] qui limpidas, defæcatasque reddunt potiones, albumine potius, quàm vitello solent vti.

[a] lib. 1. Aduers. cap. 24.

XIV. Vinum omni condito melius. *Condiisse veteres plurimis modis vina, iisq; adiunxisse adscititios sapores, coloresque, atq; odores varios, tradunt Plinius* [b] *Dioscorides,* [c] *& vt quidam interpretantur, etiam Martialis* [d] *sub vocabulo* foliata:

[b] lib. 14. cap. 13.
[c] libr. 5. cap. 44.
[d] lib. 14. Disticho 110.

Hac licet in gemma quæ seruat nomina Cosmi
Luxuriosa bibas, si foliata sitis.

Est enim foliatum, potionis genus, nardi, aliarumque odoratarum stirpium foliis condiri solitum, quòd in deliciis habebatur, Deque eodem vini genere scomma illud argutum in Romanos à Luciano iactum intelligo, cùm ait, [e] inualescente luxuria eos solitos vnguenta bibere. *Id vini factitii genus certum est à sponsa sponso Christo fuisse mysticè apparatum, cum inquit,* [f] Dabo tibi poculum ex vino condito, *hoc est, vinum aromatiten pretio, & sapore eximium. Magna itaque Antoniniani vini laus est præcellere conditis & odoratis. Sed ea profectò laus hyperbolica existimanda est, &, nisi id à Conditore æstimetur, ex vano.*

[e] Dial. cōtra Rom.
[f] Cāt. 8. 3.

XV. In Domino expirauit XVI. Kal. Mart. Cōsule Probiano. *De die quidē nonnihil euariant vetera Pulsanese, & Plescanum Martyrologia, quæ B. Antoninum habent die præcedenti, hoc est, Idibus Febr. Sed re conueniunt: nam illa obitum, Romanū verò Martyrologium, & Eligianum Kalendarium depositionem commemorant. Crebrò eiusmodi variatio in Martyrologiis cernitur. Hac de die.*

De Consule autem Probiano quid dicemus? Optarim equidem Romanum extitisse Consulem. Sic enim annum obitus Beati Antonini multò certius scire liceret. Sed reuerà Romanus esse non potest. Nam desierant Consules

vtriusq;

vtriusq; Romæ iam ab anno Christi 564. hoc est, vt signatur in Fastis, P.C.Basilij 23. Probiani verò Consules fuere duo: alter cum Anicio Iuliano anno Christi 322. Alter cū Leone Augusto quartum, anno 471. Itaq; ad Antonini nostri tempora, etiam si ex imaginario illo Antonij Ebulensis ratiocinio digerantur, neuter Probianus accommodari potest. Reliquum est igitur, vt Probianum hunc, Municipalem Consulem fuisse dicamus. Is Magistratus in Vrbe Roma, annalis; in Municipijs verò quinquennalis erat, idque adeò olim notū, vt quinquennalis *simpliciter dictus, Duumuir, aut Consul Municipij intelligeretur. Aelius Spartianus in Vita Adriani:* Apud Neapolim Demarchus, in patria sua, *(Italia)* Quinquennalis, & item Adriæ Quinquennalis, quasi in alia patria, & Athenis Archon fuit. *Inde factum, vt Consulatus Municipales Olympiade, aut lustro notarentur. Quod quidē obseruat, & ex duabus antiquis inscriptionibus probat Ios. Scaliger Lect. Auson. lib. 2. cap. 23. Ex his colligo, Surrentinum hunc Consulem Probianum, Quinquennalem fuisse, aut etiam perpetuum. Nam cùm Consulatus eiusmodi incidebant in Duces, (cuiusmodi fortasse hic Probianus) ij perpetui erant. Quod profectò in Neapolis Ducibus videre est. Ij enim ad mortem vsque Ducatum, & Consulatum gerebant. Inde Sergius* Dux & Consul: *Bonus* Dux, & Consul, *Marentius, ad quē Gregorius Magnus aliquando scripsit,* Dux idemque Consul, *perpetuò titulo legūtur in Inscriptionibus, quæ extant, & nummis. Plura non addo.*

XVI. Ecce autem ipsius parentes. *Parentes hoc loco non significare genitores, sed propinquos, consanguineosque, vel ex eo patet, quòd paulò inferius, B. Antoninus horum parentum pater appellatur:* Qui viuum eum ciuem & patrem fouerunt. *Iamtum ergo latina lingua in hanc Italicā, qua nunc vulgò vtimur, sensim emigrabat. Quocirca mirum non est, tunc vsos hac voce,* parentes, *qua Italica vulgari propinquos significamus. Eadē notione accepta est à Falcone Beneuentano in suo Chronico,*

nico, quod nuper edidi. Sed redeo ad B. Antoninum, quem sanè ex his, quæ hoc loco Anonymus iste narrat, apertè liquet non fuisse Surrentinum Ciuem. Quænam autem fuerit eius Diui patria, iam suprà diximus.

XVII, Adiuncto nūc Oratorio decoro. *Ex his quoq; verbis colligi potest, quod & supra significaui, Anonymum hunc scriptorem, ante aliquot annorum sæcula vixisse, & vitam hanc edidisse. Nemo enim Surrentinorum Ciuium, quantumuis longæuus, meminisse potest, se vidisse Agrippini Aedem, & illi quondam inclusum, siue adiunctum Oratorium hoc B. Antonini nomine ædificatum, neque à maioribus, qui id sua ipsorum ætate viderint, audiuisse, adeò magnum temporis spatium præterijt, ex quo id Oratorium Agrippinensi Aedi adiunctū est. Nunc verò (gratias Deo) non iam, vt olim, paruum aliquod Oratorium, sed amplam, & antiquo schemate decoram Basilicam de B. Antonini nomine nuncupatam frequentant fidelium turmæ populorum, è remotis etiam prouincijs toto propemodum anno, aut subsidij aduersus Dæmones, aut voti, orationisq; causa confluentium. Incolunt verò eam ex nostro Ordine Patres, ac sacris Officijs noctu diuque celebrant, & Diuini verbi satione, cultuque Sacramentorum opimant.*

XVIII. Sicardus cæteris finibus suæ ditioni subiugatis. *Ditio Beneuentani Dynastæ erat Samnium, & pars Campaniæ, atque Lucaniæ, Calabria etiam ferè tota, & pars Apuliæ, anteaquam dissidium inter Adelgisium, & Siconolphum Sicardi fratrem oriretur, ob quod componendum necesse fuerit, Lothario Imperatore dirimente, in duas veluti partes amplissimam illam ditionem diuidere. Possidebat igitur eo tempore Sicardus præter Samnium, quod, Ferrario obseruante, latius multò erat, quā nunc Aprutium, Comitatum Capuæ, & Theani in Campania. Inhiabat itaque hic Tyrannus (sic enim Martyrologium Romanum illum meritò vocat die 9. Octobris) reliquæ Campaniam occupandæ; Neapoli scilicet, & Surrento. Quocirca, vti Erempertus in fusiore sua Historia*

storia narrat, in Neapelitanos fines primùm irrupit, eã nactus occasionem, quòd Neapolis vectigal Siconi eius parenti iureiurando promissum, pendere recusaret. Eã verò hostilem irruptionem viriliter propulsauit Andreas Dux Neapolitanus. Igitur Sicardus à Neapolitanis mœniis abactus, totam suam rabiem in Surrentinos vertit. Actumque erat, nisi B. Antoninus subsidio fuisset. Quod quia hic Anonymus fusè narrat ego repetere supersedeo.

XIX. Vineæ in altum prominentes. *Est hoc loco Vinea, bellicum instrumentum, quod Vegetio, alijsque describentibus, è lignis compactum erat; latum pedibus octo, altum septem, longum sexdecim, tectum duplici ligno, cratibusque contextum. Latera quoque vimine sepiebatur, ne saxorum, ac telorum impetu perfringeretur, extrinsecus verò ne cremaretur, crudis ac recentibus corijs integebatur. Cùm plures vineæ forent, iungebantur ordine, sub quibus oppugnantes tutius ad muros quatiendos, subruendosq; procedebant.*

XX. Inimicum expulit, *hoc est, Dæmonem. Promeruit sua nequitia, & sentico atque immortali in humanum genus odio, Satan, vt* Inimicus, Hostis, Malus, *græcè* Πονηρὸς, *alijsque id genus vocabulis antonomasticos appelletur. Rectè; nam cùm homo hominem odio videtur habere, an perseueraturus sit, ignoramus: & sæpe accidit, vt quis, commendabili inconstantia, ex aduersario amicus euadat. Dæmonum autem desperanda correctio est: ac proinde ab eis prætextu aliquo quidquam querere, aut accipere, perniciabile; cùm, vt, B. Leo inquit,* [a] Beneficia Dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus: dolendumque sit, multis eos ita per nequitiam simulationis illudere, vt timeant pati infensos, & velint habere placatos. *Expulit igitur B. Antoninus è corpore puellæ Sicardi Principis filiæ Dæmonem inimicum, eoq; simul miraculo à Surrentinis mœnijs Langobardos expulit inimicos. Porrò in hoc puellæ à nequam obsessore liberatione, obseruet sincerus lector, quàm antiquum sit*

[a] Serm. 19 de Passion. Domini.

energumenos ad B. Antonini sepulchrum adducere, & ab eo, qui talem potestatem à Deo accepit, precibus exposcere, & impetrare solutionem. Hanc ego tanti Diui virtutem, nihil opus est, vt verbis illustrem, aut humano calculo roborem, cùm se satis, atque abundè tueatur antiquitatis suffragio, ac cœlestibus benefactis. Itaque quam octo iam sæcula vendicant, & continuata succedentium temporum gesta, prodigiaque, in Fastis etiam Romanis memorata, confirmant, id iure omni, ac meritò posteritas, vti spero, deuoto, & grato animo prosequetur.

XXI. Quid ergo? Sanctusne Dei Confessor beneficium sanitatis vendidit? *Suspicionem auaritiæ, & venditæ quodammodo sanitatis prolixè quidem, & cum nonnullo lectorum tædio à B. Antonino propulsare conatur hic Scriptor Anonymus. Verum enimuerò, vt Hilarij verba ad hunc Diuũ accõmodem* Cadere vitium in gesta eius non poterat. *Quippe nobilissimã puellã ea, quæ detulerat pretiosa indumẽta gẽmasq; nõ vi vlla, sed sua sponte B. Antonino obtulisse palàm est: & ad gloriã refertur Diuini Numinis Templorum nitor, atque aurea, ac gemmata supellex. Sanè verò simile quid (apud Aimoinũ de Gest. Franc. lib. 1. cap. 22.) contigisse legitur Clodoueo Regi,* qui equum, quem inter cætera donaria miserat S. Martino cum redimere centum datis solidis (*hoc est, centum nummis aureis*) decreuisset, nec ille vllo modo eum de loco mouere posset, alios centum dari præcipiens, taliter iocosè dixit: S. Martinus bonus in auxilio, sed carus noscitur esse in negotio. *Porrò conducibile nobis est, quod Deus aut Sancti eius nostra recipiant.*

XXII. Qui paulò antè gloriosi Ducis sanauit prolem. *Beneuentanorum, Neapolitanorum, & aliorum per ea tempora, Ducum is titulus solemnis erat, immo etiam Gloriosissimi audiebant. Extat huius ipsius Sicardi Principis Diploma, ab Eremperto relatum,* a Nos Dominus Vir Gloriosissimus Sicardus, Langobardorũ gen-

a Hist. Lãgob. ad fin.

tis

tis Princeps, &c. *Quocirca Marentio Neapolis Duci, & Magistro militũ scribens B.Gregorius Papa,* [a] *quotiescunq; eum compellat.* Gloriam vestram, *ait. Ipsi verò Neapolitani Duces, modò se* Gloriosos, *modò autem* Eminentissimos *appellasse certum est:* Nos Sergius in Dei nomine Eminentissimus Consul, & Dux, atque Dei gratia, Magister militum, &c. *apud doctũ virũ Capacium,* [b] *Alia autem Diplomata Amalphis Ducum extant apud eundem.* Temporibus Domini Ioannis Gloriosi Ducis, & Imperialis Patritij, Antipati, & Domini Sergij Gloriosi Ducis filij eius anno septimo, &c. Item temporibus Domini Mansonis Gloriosi Ducis, & Imperialis Patritij. *Sed de his copiosius, & disertius Iurisperitus Purpura aget, in sua quam expectamus Amalphitana Historia.*

a lib. 7. ep. 70.

b Histor. Neap. lib. 1. cap. 13.

XXIII. Ad columnam manus & pedes miserum arctius ligarunt. *Refert, hoc loco obseruare, atque cognoscere antiquum morem, idest, à multis retrò seculis vsitatũ, ante sepulchrum B. Antonini alligandi energumenos ad columnam Aræ proximam, eosque clausis foribus, ibi relinquendi, quousque suam Diuus cœlestem virtutem, si ei libitum esset, in ijs à Dæmone liberandis ostenderet. Idem successu temporum factitatum, imagines in pariete hypogæi antiquitus depictæ significant. Idem quoque alibi ad Sanctorum sepulchra, lipsanaque vsitatum Historiæ produnt. Thomas Fazellus Dec. 1. Hist. Siculæ lib. 10. narrat, ad Aedẽ Diui Philippi Agyrani, Siculorũ Apostoli, complures arreptitias, quæ illic vinculis strictissimè impediebantur, se vidente, anno Christi* 1541. *mirabiliter liberatas. Romæ etiam ad columnam illam è Salomonico Templo ad Vaticanum aduectam, Energumeni, successu salutifero, alligantur. Mitto alia aggregare exempla recentiora: cũ omnibus par sit antiquum hoc, quod Anonymus Surrẽti factũ, literis cõmendauit.*

XXIV. Et si designatum signo Crucis per vestigium pollicis euidenter impresso reperit. *Id factum non caret similibus, ijsq; antiquis exemplis. Proferam illustriora,*

si illud prius statuam, quod B. Gregorius fusè docet, [a] *multa, & varia esse instrumenta Prophetarum. Nam cùm, vt idem inquit,* Prophetæ ministerium sit occulta reuelare, & futura prædicare, *id varijs modis atque instrumentis ij facere solent. Itaque, vt ad rem de qua agimus accedamus, tãtundem Prophetis est, siue per vnguenti vas, sicut hic olim factitatum à B. Antonino legitur, siue per sacros libros, siue per sacras imagines, siue per alia, atq; alia instrumentorũ genera, futuros sm̃ Dei voluntatem, vel permissionem euentus præmonstrare. Porrò hoc ipsum obsignatæ vnguentariæ pyxidis factum referunt Antonius Ebulensis, Paulus Regius, & Dauid Romæus in vita S. Antonini, quam vario tempore, ac loco singuli scripserunt. De sacrorum verò librorum inspectione, deq; per eos Diuinam volũtatem inuestigandi ratione, multa leguntur exempla, eaque adducuntur à Lorino in Acta cap. 1. verf. 26. Ioanne Dauid in Veridico Christiano & Heriberto Ros Vveydo Not. ad epist. 12. S. Paulini. Hi docent à compluribus fuisse olim vsurpatum hunc Diuini numinis consulendi modum. Ita ad Martini sepulchrum, vt S. Gregorius Turonensis refert,* [b] *Meroueus Rex Francorum curauit tres Codices poni, Psalterij, Regum, & Euangeliorum. Ex Psalterio versus exijt:* Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala: *Ex libris Regum:* Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, &c. *Ex Euangelijs:* Scitis, qui post biduum Pascha fiet: & filius hominis tradetur, &c. *Non multo post Meroueus captus est, & vt maiora tormenta effugeret, Gaileno familiari suo se occidendum præbuit. Similiter ipse Gregorius Turonensis, cùm videret Platonem Archidiaconum, & Galliẽnũ per vim abripi à Leudasto, Psalteriũ aperuit, legitque:* Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. *Et Laudastis nauis submersa est, altera, quæ vinctos illos vehebat, superstite. Heraclius item triduo exercitum lustrat; apertisque postea inuiolatis Dei Euangelijs inuenit sibi mandari, vt in Albania hiemet.*

[a] lib. 4. in 4. Reg. 4.

[b] lib. 5. c. 14. Histor. Franc.

met. Id narrat Cedrenus ad ann. 13. Heraclij. & ex eo Baronius Tom. 8. ad an. Christi 622. Horum exemplorũ antiquissimum, & clarissimum est illud, quod Clodoueo primo Galliarum Regi Christiano accidit. Is quippe cum expeditionem contra Arianos pararet, nuntios misit ad B. Martini Basilicã, vt inde aliquod victoriæ auspicium acciperet. Accepitque hos Psalterij tunc decantatos versiculos: Præcinxisti me Domine virtute ad bellũ: supplantasti inimicos meos subtus me: & inimicorum meorũ dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. *Mox Clodoueus exercitum mouit in Gothos Arianos, & illustrem, occiso eorum Rege Alarico, victoriam reportauit à Gregorio Turon. narratam.* a *Debere autem præmitti ad Deum orationem, docent aliquot ex his exemplis ex Greg. Turon. adductis, & Anonymus scriptor Vitæ S. Euortij Aurelianensis Episcopi, qui electionem S. Aniani Episcopi per sacros etiam libros indagatam, & demonstratã fuisse tradit, præmisso ieiunio, quod quidem solet de more oratio comitari. Legatur de hac re Lintrẽsis, primarius & doctissimus in Duacena Vniuersitate Professor, in cap. 1. Act. ad finem, vbi docet non nisi in re necessaria, & ambigua, quam humana expedire prudentia nequeat, huiusmodi consultoriam sortem esse adhibendam: & tunc cum magna Diuinæ maiestatis reuerentia, & præmissa oratione, ac concepta bona spe, fore, vt Deus eam dirigat ad declarationem voluntatis suæ. Eiusmodi etiam fortassis è sacris libris auspicia, aut certè aliquo alio externo indicio, captabant olim consilia, & responsa fideles in Æde S. Felicis Nolani martyris, illaque erant toto Orbi nota, & vulgata. Vide eos, quos citat Baron. Notatione ad 14. Ianuarij.*

a lib. 2. c. 37.

Denique per sacram Crucis imaginem S. Eutychio Patriarchæ Constantinopolitano magna consolatio, & animi vigor diuinitus est præstitus, vt Eustathius presbyter in eius Vita refert: nam cùm è Patriarchio pulsus, ablegatus esset in Insulam Princepon, visa Cruce in pariete picta cũ hoc Elogio: Christus vobiscum est, state,

ingenti expletus est lætitia. Possem equidem multa etiã exempla huc adducere formatæ diuinitus atq; effigiatæ Crucis per Sanctorum, immo per Christi ipsius, Sancti Sanctorum manus, sed ne Notationis excedam limites, amando studiosum Lectorem ad Annales Aurelianenses Caroli Saussey, vbi is lib. 1. cap. 12. complura congerit. Ego verò finio hanc Notationem cum grauissima Stephani Abbatis Leodiensis sententia. [a] Licet, *inquit*, signa minimè sint petenda fidelibus, ad corroborandam tamen infirmiorem plebis fidem, nonnunquam mortua Sanctorum ossa attestari solent, quid eorum viuens egerit spiritus.

[a] Apud Surium lib. 3. vitæ S. Mondoaldi Episcopi.

XXV. Tempore autem procedente, Sarracenorum infinita multitudo. *Ex his verbis colligere mihi posse videor, hanc Sarracenorum irruptionẽ contigisse non admodum multò post Surrenti obsidionem à Sicardo, vt dictũ est anno 836 positam, & Diui Antonini virtute solutam. Itaque cum duo legantur in Historijs fœdera aduersus Sarracenos à Campaniæ Principibus inita, alterum Leone IV. Pontifice anno Christi 849. alterum autem Ioanne X. Pontifice anno 915. magis inclinat animus, vt affirmem hoc loco sermonem esse de illo, quam de isto fœdere: quia hæc verba,* Tẽpore autem procedente, *id probabilius persuadent, Nihil tamen certi statuo. De his verò fœderibus, & victorijs ope Campanorum Principum gloriosè habitis fusè agunt Leo Ost lib. 1. cap. 38. & 51. Luitprandus Ticinensis lib. 2. cap. 14. Sigebertus in Chron. ad an. 910. & Sigonius de Regno Italiæ lib. 5. Pandulphus autem Colennucius animum suum non admodum beneuolum in Campanos, & Neapolitanos, ipso silentio prodit. Nam lib. 2. Compend. Hist. Regni Neap. ingentem illam victoriam, quæ Ioanne X. Sum. Pont. an. 915. contigit solis Hetruscis, & Romanis militibus, ne nominato quidem Campanorũ Principũ fœdere, & exercitu validissimo, attribuit. Sed bene est; Flauius Blondus illo melior, & sincerior Historicus, omnem propemodũ ingentis illius victoriæ laudem Neapolitanis ascribit.*

Reci-

Recitare libet eius verba, vt antiqua Neapolitanorũ in Deum pietas, & in Apostolum Petrum, à quo Catholicã fidem olim edocti fuerunt, grata deuotio, alijs atq; alijs cõsignata libris, appareat. Inquit igitur Blõdus: [b] Cùm Sarraceni omnem oram maritimã, quæ à Caieta Rhegiũ vsq; protenditur per bellũ obtinuissent, Neapoli quoq; sunt potiti: quã ad annos 30. possederunt: quousq; Ioãnes decimus Pontifex Romanus vir excellentissimus pellendis Italiæ Sarracenis animum adiecit: quo hortante, & auxilia subministrante, Neapolitani omnium primi id diu inuisum abiecerunt iugum, secutiq; eius vrbis exemplum cæteri Cãpaniæ, Lucaniç, & Brutiorũ populi, eam.s. incolentes oram, quæ à Neapoli continetur freto Siculo, & dominio Sarracenorũ abiecto, sese in Christianã vindicarunt libertatem. Qua afflicti clade Sarraceni auxiliaribus copijs ex Africa, Mauritaniaque accersitis, oppida & vrbes, quæ sibi erant in Italia reliquæ, præsidijs confirmatas maioribus, retinere conati sunt, Phormias, Minturnas, Sinuessam, Vulturnum, Linternum, Cumas, atque Baias: nam Puteolani Neapolitanis ab initio in rebellione consenserant. Perstitit verò, perseuerauitque sanctissimus Pontifex in sua expellendæ Barbariei æternis digna laudibus voluntate, & Italos omnes, quantumuis inter se alijs rationibus laceros, atque discordes, in fidei Christianæ tutelam orando, suadendoque magis quàm quòd nequisset iubendo armari obtinuit. Quibus in magnum coactis exercitũ, Pontifice Ioãne duce, ventũ est ad Minturnas, & quod in eius vrbis descriptione diximus, præliũ apud eam gestum est, in quo Sarraceni maxima clade superati sunt. vnde factum est, vt ea gens impia, & non magis Christiano, quã Italico nomini inimica, regionem prædictam a Phormijs ad Baianum, & quicquid vrbium: oppidorũ, munitorũq; locorũ in ea præsidijs obtinebant, incendijs, & toto conatu reliquerint dirutum: adeò vt ea quã hucusq; vix conando potuimus singulis in locis ad nominis antiqui notitiam perducere, manserit solitudo. Aucta verò est semper postea opibus vrbs Neapolitana: & se-

[b] In descriptio. Campaniæ.

& feliciter sub Ioanne decimo inchoatas in Barbaros inimicitias felicissimè retinuit. Nam cum Leonis quarti Papæ temporibus Sarraceni SS. Petri, & Pauli Apostolorũ vtrasq; vrbis Romæ Basilicas vi captas incendio absumpsissent, vrbemq; Romã diu obsessam capturi viderentur, nullis maioribus ex omni Italia quã Neapolitanorum viribus & seruata est Roma, & Barbari sunt expulsi, &c. *Hæc Blondus. Antonius autem Ebulensis (quod reticere non debeo) & qui eum secuti sunt Romæus, & Regius per summam Chronologiæ incuriã ista referunt ad Adriani Papæ, & Caroli Magni ætatem: cùm tamen nullũ vspiam legatur fœdus Campaniæ Principũ cõtra Sarracenos Carolo Magno regnante Et quod absurdius est, miscent Guidonem Ducem cum Carolo, & Adriano, non aduertẽtes centum circiter annorũ interuallo illum ab his distare. Sed de Ebulẽsis in D. Antonini vita enarrãda erratis Chronicis, atq; Historicis breuẽ elenchũ ad finẽ huius Operis posui, ne in eo identidẽ cõfutãdo in medio Annotationũ sermonem sæpè interrumpere cogerer.*

XXVI. Cuinã Ciui Neapolit. seni, cui Sergius Pipinus nomen. *Diuersi ab his antiquis Pipinis fuerũt recẽtiores illi Pipini, qui à Carolo I. Neapolis Regi nobilitati, & varijs dignitatibus aucti leguntur apud Ammiratum in stirpe Pipinorum. Nam illi non ante annum circiter* 1280. *erant in ore hominũ. Hic verò Pipinus, & eius gentiles, ante septingentos annos extiterunt. Præterea illi Pipini Barolenses, hic verò Neapolitanus fuit.*

XXVII. Nam istius quam offero immolationis consummato mysterio. *Ista in cœlis sacrificatio, per somniũ à Pipino visa, illo ferè modo intelligi debet, quo B. Gertrudi ostensa Missarũ solemnia in cœlis celebrata,* [a] *intelliguntur nẽpè, q̃ ea rationẽ significabatur, per quotidiana incruenta sacrificia, quæ offeruntur in Ecclesia, Christũ se, suaq; merita iugiter Deo Patri offerre pro nobis.* Ideo. n. *inquit B. Ambrosius,* [b] vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. *Alioquin Sacramenta, &*

[a] lib. 4. vitæ cap. 62.

[b] lib. 10. in Luc.

ta, & mysteria, Ecclesiæ militantis sunt, non autẽ triumphantis, & absq; velamine Deo fruentis. Ad hunc itaq; modũ intelligi debent eiusmodi aliæ visiones Missarum à Beatis in cœlo celebratarum apud Brigittam lib. 8. Reuelat cap. 56. Iordanũ de Saxonia lib. 2. de Vit. Eremit. cap. 13. & alios atque alios.

XXVIII. Vnus ex nobilioribus Neapolitanorũ Gregorius Prancatius. *De stirpe Brancatiorum clarissima, & antiquissima, non est cur hoc loco ipse differam, eiusq; fontis primam scaturiginem exquiram Notationũ conclusus spatio breui. Id solũ de vocabulo dicam, Pancratios olim dictos fuisse, qui nunc Brancatij, ab insignibus forte, quæ deferunt, corrupta aliquãtulũ voce nuncupãtur. Nam Leonis pedes Italicè* Branche *dicuntur. Quinetiã notaui ego à Ioan. Villano, Florentino Historico* [a] *Diuũ Pancratium Martyrem appellari Brãcatium: vt mirum proinde haud sit, hunc Anonymũ scripsisse Prãcatiũ. Iste verò Gregorius est multo antiquior Vispullo illo, quem Marchesius, & Mazzella primum Brancatiorum nominant.*

[a] lib. 3. c. 1

XXIX. Legitur. n. Eremitam quendam, Sacerdotẽ sibi Missarum solemnia celebrare solitum, &c. *Hoc exẽplo, siue id verè cõtigerit, siue (vti suspicor, quia nusquã reperire potui) ad infirmandos mores ab Anonymo isto parabolicè figuratum sit, idipsum docemur, quod B. Augustinus,* [b] *breuius, & disertius docuit, videlicet non pro diuersitate ministrorũ, Diuina Sacramẽta censeri. Alioquiñ tantò quisque aliquid melius putaretur accipere, quantò à meliore videtur accepisse.*

[b] Tract. 6. in Ioan.

XXX. In Lectionarium, quod subieci, nihil adnotãdũ occurrit: sed monendus est nihilominus huius libelli Lector, ingentẽ illũ hiatũ, qui bonã VI. Lectionis partẽ, & cõplures fortasse, quæ sequebãtur, Lectiones integras occupauit, à me non potuisse expleri, vnicũ tm̃ Lectionarij Codicẽ habente, eũq; sic biantẽ, & lacunosũ. Eã iacturã quadãtenus sarcient Hymni, quos ex eodẽ vetusto Cod. exscriptos paris cũ Lectionario antiquitatis esse nõ dubito.

FINIS.

ANTO-

ANTONII EBVLENSIS IN VITA S. ANTONINI ſphalmata Hiſtorica, & Chronologica.

Cap. 1. *Figit Alboini Langobard. Regis ingreſſũ in Italiam an. Chriſti* 572. *Redarguitur à Petro Diac. & ab alijs omnibus, qui figunt an.* 568. *immo ſunt nonnulli, qui ponunt an.* 566.

Eod. Cap. Finẽ Regni Langobard. an. 780. *Alij an.* 774.

Cap. 4. *Creationem Sabiniani Papæ an.* 624. *Alij* 604.

Cap. 8. *Ait Viculinos (ita enim appellat) vnà cũ Maſſenſibus & Stabienſibus honoraſſe tumulũ S. Antonini paulò ante mortui. Et tamen conſtat ciuitatem illam Vicum non ante Carolum II. Neapolis Regem extitiſſe, ſed Aequam.*

Cap. eod. Sicardum mutat in Romoaldum contra omnium antiquorum Codicum fidem. Sed de hac re latius Annot. III.

Cap. eod. Scribit Romoaldo ſucceſſiſſe Grimoaldum fratrem. At Grimoaldus fuit filius, non autem frater Romoaldi. Huic vult ſucceſſiſſe Giſulfum ex fratre nepotem. At verò Giſulphus fuit frater Grimoaldi, non autem nepos. Lege Paulum Diac. lib. 4. *cap.* 53. *lib.* 5. *cap.* 25. *& lib.* 6. *cap.* 27. *Multa inſuper Romoaldo affingit, atque auget ex vano.*

Cap. 10. *Miſcet tempora Caroli Magni, qui fuit Rex an.* 768. *& Imperator Occidentis an.* 800. *cũ Guidone Duce, qui cœpit Inſubriam an.* 890. *Luitprand. lib.* 7. *& ex eo Sigonius, atque alij.*

Errata.

Pag. 51. lin. 24. dele notam interrogatiuam.

Pag. 53. lin. 11. lege inclutus.

Pag. 55. lin. 5. obſoleuiſſe.

Pag. 55. lin. 33. mancipatus.

Pag. 56. lin. 9. chariſſimum.

Pag. 58. lin. 8. lib. 2. cap. 10.

Pag. 58. lin. 11. Erant.

Pag. 62. lin. 31. diuidi.

Pag. 63. lin. 21. ſontico.

Prætermiſſa.

Pag. 8. lin. 8. poſt Cod. M. S. add: Langobard. lit. exarato.

Ibidem lin. 14. poſt M. S. Cod. adde Langobard. lit. exarato.

Pag. 8. lin. vlt. adde. Sed harum omnium celeberrima eſt vetus illa imago, quam Neapoli in Eccleſia S. Dominici Cappella Vulcanorũ habet. Ij enim viri nobiles Diuum Antoninum, quem Surrenti coluerãt, in eo Sacello coloribus exprimendum conſtanti deuotione curarunt.

Ad marg. pag. 13. lin. 30. ſcribe: Verba aliquot, quæ ſententiam deprauabant correximus.

Ad marg. pag. 51. lin. 22. ſcribe: Alex. II. in diplom. apud L. Oſt. lib. 3.

Ad marg. pag. 59. lin. 26. ſcribe: At hea. lib. 1. & ibi Caſaub. Comment.